Emptus hic liber [illegible]
Hamoniae Anno 1563

~~Anno post nativitatem salvatoris nostri J. Christi 1564~~
~~ad diem Alexii post pascha festum [illegible]~~
~~circa horam [illegible]~~
~~[illegible] gratia [illegible] gratia [illegible]~~

[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Homerus hat sich das leben verkurtzet
haben, dat er der problema
welchen im der schiffleut zu sich
[illegible] auffgaben nicht solviren können
In silvis densis venor bis quinque catellis
Quod capio perdo, quod no capio mihi servo.

Linacer in I lib: explicat Etimologiam in II Enallagen in III artificem Syntaxin.

B 3.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS

Partitionum Grammaticarum, quæ Tabulis delineatæ sunt, LIBRI III.

Auctorum loci obiter citati emendatiores.

Cum Indice Græco & Latino in Figuras Grammaticas.



Cum Cæs. Maiest. gratia & priuilegio ad decennium.

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS AD IOANNEM ET HVGOLDVM, IOANnis FF. Hugoldi NN. De Schleinitz,

IN PARTITIONES GRAMMATICAS, PRAEFATIO.

POST scriptores, ut ferunt, trecentos ueteres atque nouos, qui libros de Grammatica ediderunt: me quoque professio mea, & rationes non inhonestæ impulerunt, ut has Partitionum tabulas in lucem proferrem: si quid fortasse traditis meæ fidei atque disciplinæ adolescentulis, facilitate & ordine prodessem: artemque omnē semel, tum quæ obseruationes usitatas habet, tum quæ uaria conformationibus est, comprehenderem. Olim quidem tantam scriptorum multitudinem peperit & temporum & ingeniorum diuersitas: & in docendo uarietatem tractationis omni tempore parit, cùm scribentium uoluntas, tum instituentiū uel eruditio uel iudicium. ~~Certè quo uir melior quisque est, magisque exercitatus, eo maiorem auditorum rationem habet, & ad ipsorum captum progressusque suam doctrinam accommodat.~~ Pueris enim qui Ptolemæum, aut Euclidem, aut Aristotelem, ante bonæ & emendatæ orationis perceptiones proponit, secundum Menandrum, μάταιός ἐστι, καὶ φρονῶν οὐδὲν φρονεῖ. Bene Posidonius, cùm artes diuideret, inter eas quas nominabat liberales & ingenuas, etiam pueriles recēsuit, quòd pueris tradendas eas iudicaret: quales essent, quæ initia sermonis & morum cōplectuntur. ~~Socrates uerò pueris & adolescentibus Atheniensibus tradi disserendi præcepta noluit, donec trigesimum ætatis annum excederent, ne hominibus natura acutis, & ætate adhuc feruentibus, & gloriæ auidissimis,~~ ueras sententias aut deprauandi ~~aut impugnandi~~ instrumenta darentur prius, quàm quantum mali ac detrimenti inesset mendacio ~~& temeritati intellexissent.~~ Nos quidem, etiamsi præscriptum Atheniensibus morem & tempus non sequimur: tamen uehementer probamus & Posidonij sententiam, & Socratis finem, quorum hic respectu ingeniorum, ille ætatis, prudenter consuluerunt suorum hominum studijs atque moribus. Nostrorum autē mores nos instituimus, primùm religionis & pietatis præceptis, quæ, qui harum Regionum Ecclesijs puriora tradiderunt, nomine antiquo Catechesin nominarūt: in quibus de uero & omnipotente Deo, de ipsius animo, & erga homines uoluntate, absoluta doctrina continetur: & fœderū, quæ cum Deo nobis intercedunt, certitudo explicatur, atque dignitas. Ad docendas deinceps linguas atque

literas, simplicissima porrò adhibemus præcepta, & quandam χειραγωγίαν ὁδοποιητικήν, qua ueluti manu, uia directa, neque longa ducuntur ad faciendum sermonem proprium. ad quæ præcepta inculcanda confirmandaq́ in optimis statim auctoribus, rudes adhuc & imperitos asiduè exercemus; utq́ assuefiant ad imitationem, in qua meo iudicio studiorum excellẽtia posita est, pro uiribus annitimur: ut intelligere ueteres, atq́ admirari optimum quenq́ discant. Ad tale ædificium eruditionis magnæ, fundamenta quædam (qualia sunt præcepta, de quibus libris in his agitur) esse necessaria, nemo dubitat: & qui proteruitate aut inscitia negant, serò tandem & cum dedecore fateri coguntur. Nunquam autem hæc studia sua laude suisque præmijs caruerunt apud sapientissimos. Amphictyones, totius Græciæ senatus Apollodoro honorem habuit: & militaris illa Respub. Romana M. Varronem publico monumento decorauit. Factum idem in populis minoribus est: Beneuentani, statuam collocarunt ciui suo Orbilio: Prænestini, hospiti Flacco. Ipsam præterea artẽ multi uiri maximi professi sunt, Dionysius Siciliæ rex, & Ælius Pertinax postea Imp. Romanus. Eiusdẽ studio deditus Ælius Hadrianus, totam Italiam ad inquisitionẽ literarũ, & in primis linguę antiquioris excitauit. Carolus Magnus, primus è Germanis Imperator Romanus, & studiosè omni tempore didicit, & suos filios filiasq́ literis ipse informauit. Iulius Cęsar, quantus uir atq́ imperator? atqui de singulis literis libros scriptos reliquit: ut ante ipsum Messala Coruinus, uir consularis. Nomen Grammatici sibi assumpsit Ioannes Philoponus, bonus philosophus, & nobilis Aristotelis interpres: & qui commentatus in Hippocratem medicum est, Xenocritus Cous, non alio quàm Grammatici titulo uoluit honestari. Diuus Augustinus, nominis primi Theologus, grammaticam Mediolani docuit, & de eadem arte librũ conscripsit, tum de ratione syllabarũ libris quatuor præcepta dedit accuratissimè. Nostri uerò æui princeps humanitatis atq́ uirtutis Philippus Melanthon hæc studia tractauit, commendauit, extulit. Nihil uideo requiri posse amplius & ad præstantiam & ad laudem huius siue uiæ siue artis, cùm ei tantum tributum sit à tam diuersis gẽtibus, à tot clarissimis uiris, ab ipsis magistris tam humanæ quàm diuinæ sapientiæ, Philosophis atq́ Theologis. Nemo igitur hanc improbat uel insectatur, nisi aut imperitus, aut inuidus, aut improbus sit. Imperitis, si non sunt maliciosi, ignoscendum: iniqui, quoniam iudicio malo & corrupto sunt, planè non curandi: improbi uerò, qui mendacio delectantur, & nocent calumnia, pœna publica essent coercendi: labefactantes enim hæc initia omnium bonarum artium, omnis cognitionis liberalis, imò ueritatis ipsius subruunt fundamenta. nulla enim ars est, sine præceptis: nulla cognitio, absque literis: nulla ueritas, non intellecta proprietate & com-

Avaritiam turpe et obnoxium vitium esse
non solum sacra Scriptura hoc testatur
quae nos de hac quam diligentissime dehor-
tatur, sed et omnes pii doctores, qui vitium
hocce quam turpissime nobis depingunt
et ~~ante~~ oculos ponunt inter alia ante
praecipue depictio veteris Ecclesiastici
~~August~~ Bernhardi, quae avaritiam hisce
sequentibus coloribus depingit, inquit mulier
horribilis magno insidet curru os usque ad
aures obtrectans et avaritia nominatur,
in curru multum ~~pecun~~ auri et argenti
est, ~~in~~ quem inscriptum ~~tutie~~ securitas
mulieri in manu dedit duplicem scuticam
quarum una timore perdendi, altera
vero cupiditate accipiendi nominatur.
Currus ipse 4 constat rodis, rotarum

vnu̅q Dei contemptio, alteru̅ oblivio
mortis, 3tium inhumanitas summa 4tum
pusilla nimitas. Ante currum duo st
equi alligati, unu̅ vocat is ꝑdam,
alteru̅ avaritiam, Cum in depictione
ante dicty Ecclesiasticy oes eos

positione uerborum: & quicunque nomen præclarum consecuti sunt, aut qui disciplina aliqua in præclaris habenda rectè fuerunt instituti, his elementis se profecisse, libenter & ingenuè profitetur. Quod si quis è ciuitate omnes infantes pueros'que contenderet eijciendos, faceret'ne quod amentes solent? nec minus quàm Cyrsilum suadentem turpia, Athenienses lapidibus obruerunt: sic hunc crudelia & nefaria suadentem, ipsa barbarorum magalia essent deletura. Inspice enim quæso coetum puerorum in quadam urbe florente, aut magno in populo, coetum inquam leuem & imperitum, insidentem arundinibus, uersantem turbines, ludentem pila, ineptientem, saltantem, garrientem: progredere paulisper è uicis campo'ue, in forum, curiam, templa: quot ciues eximios, graues prætores & consules, uiros eloquentes admirabere? Vnde autem putas illos electos & collocatos in Rempublicam atque Ecclesiam? unde ad tantam uirtutum & dignitatum altitudinem progressos? ex illo nimirum, quem nuper riseras, coetu puerili & lasciuo educati elatique sunt. Quòd si optabile atque utile existimas, tales habere ciues & magistratus: pueri non modò expellendi non sunt, sed eorum uitæ, incolumitati, disciplinæ cura præcipua est & singularis impendenda. Idem de tota educatione, de artibus atque præceptis, quibus formantur puerorum & excoluntur ingenia, est sentiendum, quæ præcepta etiamsi specie exilia, & reipsa minuta sint, & plurimū operis, nihil ostentationis habeant: tamen si non negliguntur, & suo imbibūtur tempore, peritos tandē philosophos, magnos oratores, politos iurecōsultos, eximios theologos, & in Remp. & in Ecclesiā ipsam, quasi in colonias, emittunt. Neque ego hoc dico, quòd ex his principijs, tanquā è cerebro Iouis Minerua, confestim exiliāt aut euolent artifices: sed affirmo cum Peripateticis, esse instrumenta: dico cum Posidonio, esse rudimenta, non opera. Quibus hoc obscurum est, cōsiderent in tota natura, è q̄ tenuibus fontibus, fluuij oriantur nauigabiles: è quàm paruulis seminibus, quantæ procreentur arbores, tum uideant simul, neque semen esse arborem, neque caput aquæ ipsum esse flumen: coelum, solum, cultura, tempus, aliquis interdum casus, mirabilia ipsis præbent incremēta. Accidit idem in animatis corporibus: neque elephas aut panthera tanto robore, tantaque celeritate primùm in lucem prodeūt, quantum postea addunt anni, & exercitationes, quæ illis sunt belluis usitatæ atque cōmunes. Eadem ædificiorū ratio est. arcis alicuius munitæ extant muri & propugnacula, latent fundamenta: instructę triremis non appâret carina, sed cernitur altitudo mali, apparatus remorum atque armorū, ueli & funium multiplex diuersitas. Tolle id, quod oculis non subijcitur, informe atque rude: quid relinques, præter ruinas & naufragia? Extruxit Romæ Capitoliū Superbus: sed id nunquam perfecisset, nisi fundamenta pręclara iecisset Priscus. eo aūt in tantam

amplitudinem erecto, quanta futuro imperio digna erat, quàm facile posterioribus fuit gradus marmoreos, limina ænea, parietes incrustatos, laminas inauratas, porticus triplices adijcere? Tali fundamento artem confero hanc infimã & puerilem, cui ueluti προσοικοδόμησις artium reliquarũ exaggeratio & ornamẽta adhibenda sunt, ut quẽadmodum in corpore perfecto, sic in artibus omnia membra firma sint, & partes conuenientes habeant, & suus cuiq; constet decor, integritas, ordo. Quòd si quis ita sensu caret, ut ista quæ ante oculos sunt, & manu tenentur, non satis percipiat: quid mirum, in animi ingenijq; facultatib. parum sapere, nihil comprehendere? Neq; in tam imperito iniustoq; homine docendo aut emendando plus agitur, quàm is agit, qui uersat apud Lucilium,

Saxum, sudans nitendo, neq; proficit.

Aristoteles inter artes, quibus instrui uult in bene cõstituta ciuitate adolescentes, eam quæ de literis agit, loco primo recẽset, & Grãmaticam (uerbis ipsius utar) ὡς χρήσιμον πρὸς τὸν βίον καὶ πολύχρηστον commendat. neq; cõtentus simplicis utilitatis ratione, paulo pòst adiungit, tradendã eam διὰ τὸ πολλὰς ἐνδέχεσθαι γίγνεσθαι δι' αὐτῆς μαθήσεις ἑτέρας. unde nõ inscitè eam artiũ quasi matrem & altricem reliquarũ nominaueris. Contẽptores aũt isti primorũ elementorũ, hoc est, linguarum literarumq;, cùm interdũ muneribus fungãtur grauissimis explicandi religionem, aut interpretãdi ius ciuile: quid, obsecro, docent ueri? quid solidi cõmemorant? Audiamus unum & alterũ. Diabolus, inquiunt, deducitur à dia, quod est, lignum, & à bolus, quod est baiulus, quia apud inferos ligna portat. Gynæceum, aiunt, secretus in domo locus est, in quo habitant columbæ. Nemo hæc legens, à risu temperat: plaustrales tamen libros eiusmodi nugarum plenos inuenias. Hæc interpretationum monstra in uerbis, etiam in rerum maximarum cognitione & sententijs, lucem ac ueritatem inuoluunt tenebris, & ut expressè loquitur Socrates, βορβόρῳ βαρβαρικῷ. Notissima esse pijs debet omnibus, illa prima Euangelij uox, dicta primo mortali, ab auctore ipsius Deo sempiterno: Inimicitias ponam inter te, & mulierem: inter semen tuum, & semen illius: ipsum conteret caput tuum. Quantum noctis offusum rei Christianæ, quantum impietatis & superstitionis importatum Ecclesijs est, unico uerbulo deprauato, & perperam intellecto? Annos longè supra mille ualuit error, & tantum ualuit, ut qui cernerent acutius, aut altius saperent, à multitudine contradicentium, eorum'que auctoritate abducerentur. etenim mulieri attributum est, quod attribuendum semini fuit: & capitis serpentis diminutio, diuæ Virginis laudibus applicata, quæ ad Christi solummodo dominatum uictoriam'que fuit referenda. Inimicicias ponam inter te & mulierem: uerba uidelicet aperta sunt. Dubitas quid

signifi-

ſignificent? additur interpretatio : Inter ſemen tuum & ſemen mulie ris. Vides intelligendū de ſemine, & non de muliere. Quale & quàm potens erit ſemen illud? adijcitur ἐπιφώνημα, Ipſum conteret caput tuum : uel (ut Græci LXX interpretātur) αὐτός σου τηρήσει κεφαλήν. quaſi diceret, ipſe qui ex mulieris uirginis ſemine propagabitur. hoc enim ſemen Eſaias uaticinatur eſſe paruulum & filium: Paulus interpretatur Chriſtum. Voluit philoſophum Varro, ſtatera auraria uerbum unumquodq; pendere: quæ preceptio ꝗ neceſſaria ſit uniuerſis ſcriptoribus, hæc atq; alia exempla manifeſtè demonſtrant. Cùm autem non modò ad exiſtimationē uiri docti, uerumetiā ad nomen & officium hominis Chriſtiani uera pertineat intelligentia, eaq; è uerbis lectis & quaſi lance penſitatis, puriſq; linguarū fontibus hauriatur : ſunt certè nequaquam uilipendenda aut exterminād, quæ iter ad rerum ampliſsimarum ſcientiam indicāt atq; aperiunt, præcepta puerilia: quibus quaſi filo Ariadnæ, aut lychno Heronis, per incerta obſcuraq; abſq; errore & ambagib. in ipſa ueritatis ſapientięq; adyta & ſacraria adoleſcentuli ducuntur. Quamobrem cùm ſtudia hæc & neceſſaria ſint, & in primis probata, & utilia maximè, ueſtræq; iam ætatis propria: ad ea perdiſcenda totis uiribus, attentè incūbite. nam ut iucundiora fiant, exemplū ſine dubio efficiet ueſtrorū æqualium: ut fructuoſiora, præſtabit, ut ſpero, diligētia noſtra. De duabus autem rebus in ueſtro curriculo mihi admonendi eſtis: & quid ex his libris petendum potiſsimum, & qua ſit uoluntate laboreq; petendum. Inter eum qui monſtrat uiam alicui, & eum qui uiam munit, hoc intereſt : ut is qui monſtrat, ſatis habeat, ſi uiatori cōſulat de compendio & certitudine: is qui munit, operam det, ut ſine offenſione uia ſit, & impedimentis, utq; expedita undiq; & facilis euntibus. Eadem ratio eius qui tradit præcepta. is enim uiam tantùm indicat, cuius etiam demonſtratio ſi artificioſa eſt, μέθοδος dicitur : at qui uſum præceptorum eruit ex auctoribus, is uiam ſternit, & eius opera olim uocabulo mathematicorum πραγματεῖαι ſunt appellata. Vndè literatorem ab interprete, non aliter atq; à poeta actorem, θεωρητικὸν ἀπὸ τοῦ πρακτικοῦ diſtinguere ſolemus. Equidem in hac inſtitutione, & in his Partitionū tabulis, eſſe index & monſtrator uolui: quare tantùm collegi ea quæ ad id inſtitutum uiſa ſunt opportuna, neq; id ſubtiliter nimis atq; anxiè. nam ut bellè ſcribit Fabius, eſt inter Grammatici uirtutes, aliqua neſcire: &, ut ego ſentio, etiamſi ſcias, ſuo loco præterire & diſsimulare. Iſta tamē indicatio ita ſimplex nō eſt, quin ad munimentum etiam faciat aliquid, ut certius pedem figas, & minore negotio ambules. Adhibui præterea ordinē, qui ut magis conſpicuus eſſet, eum delineaui tabulis, ut uno intuitu in rem totam ſtudioſi inſpicerent, & diuiſionum uarietatem oculis metirentur. quod cum & ad intelligentiā & ad memoriam eſſe conducibile uideretur,

eiusmodi ante nos Tabellas de figuris Diomedis & Erasmi concinnauit uir doctus Petrus Mosellanus: nec exiguam nuper laudem in præceptis Dialecticis & Rhetoricis Aristotelicis & Sturmianis ante oculos ponendis meruit Erythræus Lindauiẽsis, amicus noster, uir ingenio & diligentia clarissimus. Dedi quoq; operã, ne exempla aut multitudine essent nimia, aut ipsis regulis magis obscura: nec loqui more usitato renui, quod nunc quidã inepti captant, ne cõmunia docere, aut inuentis aliorũ uti uideãtur. eo magis reprehendendi, quòd neq; se satis expediunt, neq; discipulos multùm adiuuãt: imò uerborum obscuritate & nouitate eos remorãtur, ut si aliorũ scripta inspiciant & consulant, in alia quoq; arte uersari uideantur. In hoc loco quid his è libris sit petendũ explicanti, dicendũ aliquid de meo proposito fuit. nunc qua sit diligẽtia ardoréue petendũ dicturo, propius ad uos mea spectabit oratio. Ad studiũ equestre qui sese applicant, quantopere in id incumbant, in ordinis uestri hominibus nõ paucis uidetis, qui secundũ Aristophanẽ dormiendo etiam equos somniãt. similem uoluntatẽ paremq; cupiditatem afferre uos ad rem omniũ liberalissimã, uobisq; dignissimã par est. Arte proinde aliqua qui delectantur, eius doctores & magistros obseruãt, legibus & mãdatis eorum obtemperãt, præscripta sedulò & alacriter discunt, & exercent cotidie: eodẽ impetu artium ingenuarũ cupidus feratur, ut incendat magistri sua obseruantia amorem, obsequio studiũ, assiduitate industriam. Quòd si amborũ respondeat & animus & diligentia, nihil erit in omni exercitatione molestũ, nihil difficile, nihil quod effici non possit. Themistoclẽ excitarũt trophæa Miltiadis, Iuliũ Cæsarem arę Alexandri: uobis maiorũ uirtus, uel certè æqualiũ contentiones incitamento sint ad morũ studiorumq; elegantiã & perfectionẽ. Ii enim qui ab re aliqua alieni, qui contumaces, qui segnes sunt, rarissimè aliquid addiscunt: aut si quid aliud agentib. adhæserit, minimũ illis fructus affert. Quot nunc seculo hoc ἐπιθυμητικῷ uagari homines cernas, qui nec è multis esse uolũt, nec artiũ initia didicerũt, qui cùm ad nullũ uitæ munus seriũ sint accõmodati, quodcunq; susceperint negotiũ, intractabiles sunt & importuni: quales homines ad sacra Musarũ nunquã admissos, multo foret melius atq; utilius. Prodeunt aũt ex contemptorib. disciplinæ, laborũ, artium. Immorandũ igitur patienter est rebus necessarijs, cum prudẽti respectu secuturę utilitatis: & illa ἀνδρεία & φιλοπονία Platonica nõ est solùm referenda ad splendorẽ & ad diuitias, sed ad pulcherrimas illas uirtutes quas idem Plato φιλαλήθειαν & φιλοκαλίαν, hoc est, ueritatis honestatisq; amorẽ appellauit. Indiciũ mehercule indolis nõ uulgaris est, labore delectari, & esse studiosum præceptorũ, ad eaq; se assuefacere à prima puericia magnum momentũ affert ad totius uitæ cultum atq; modum. Nam qui laborem oderunt aut fugiunt, & in artibus incipiunt sumere sibi

licentiam, temporis progressu eandem usurpant in consilijs, in moribus, in actionibus: quæ in ostentatione fatua, & in libertate imperita, nec auctoribus honesta, nec publicis rebus sunt salutaria. Vt aũt præcepta ediscant, & laboriosi pueri sint, doctrinæ huius efficiet facilitas & breuitas: cuius quidem cognoscendæ ut uia trita, & percipiendæ spacium breue est, sic eius exercendæ tempus est perpetuum. Quòd si elephas, ut est apud Aelianum, grammaticus inuentus est, bestia tam uasta atq; immanis: & si hominum discũt uoces exprimere corui & picę, in nullo numero habitę aues: quid puero, natura tractabili, & ui memoriæ animiq; prædito, & bonis fidisq; præceptoribus libenter & cum obseruatione parenti defuturum putabimus ad hæc præcepta imbibenda? qui si etiam distribuere uolet, ut debet, temporis rationem atq; momenta: quod annua aut non paulò breuior efficere industria & contentio poterit, in eo hæsitabit aut hallucinabitur per omne uitæ tempus? Octo numerãtur partes orationis: age octo tribuãtur singulis dies, ad cognoscendã etymologiam, hoc est, partiũ illarum adiuncta seu accidentia: totidem ad nominũ uerborumq; motus atq; flexiones: interponatur spacium menstruũ, ad præcepta de generibus & præteritis. Dentur deinceps octo singulis duplicati, ad discendam & infigendam syntaxim seu partium consecutionem: tantundem spacij ad percipiendos syllabarũ modos atq; magnitudinem, ut quæ de conformatione & figuris traduntur, ætatis robustioribus relinquamus uiribus. Integri cursus partem totam nondum percurrerit aureum illud mundi lumen, & suum iam cursum confecerit ingeniosus & diligens adolescentulus. loquor aũt nunc de arte tantùm: sed cui exercitatio cõfestim, & quasi e uestigiò addẽda sit in optimis auctoribus. Pergite aũt uos quoq; IOANNES & HVGOLDE progredi in his studijs, uestrę ætati similibus, quæ ut iam tenera est, & circa res nõ arduas uersatur: ita corroborata ad omne decus uirtutis, maiorũ uestrorũ, hominum ornatissimorũ exemplis excitabitur: nõ secus atq; hæ artes, quantumuis paruæ & humiles sunt, tamen cultores suos in omnẽ religionis, antiquitatis, legum, naturæ deniq; ipsius cognitionẽ deducũt, docentq; nõ minus bono atq; emẽdato sermone uti nostros homines, q̃ illi ueteres usi sunt, qui eundem à parentibus, familia, patria didicerunt. imò quod illis consuetudo domestica, & societas cum ciuibus attulit, ut nũc est multo maiore difficultate & longiore tempore comparandũ: ita iustiorib. laudibus & digniore pręconio euehendũ erit. Poetæ finxerũt Amaltheæ cornu, è cuius summo, uaria florum frugumq; genera nascerentur: huic ego libenter comparo artem Grammaticam, è cuius ueluti rudimentis, & (ut Martianus appellat) incunabulis, uiri omni genere eruditionis sapientiæq; excellentes prodeũt atq; educantur. Quo minus (ut Fabij uerbis hunc locũ concludã) sunt ferendi, qui artem

Grammaticam ut tenuem ac ieiunam cauillãtur, quæ nisi fundamenta fideliter iecerit, quidquid superstruxeris, corruet: necessaria pueris, iucunda senibus. Meos aũt labores ad uos IOANNES & HVGOLDE mitto, uobisq; dedico. debetur enim à me gratus animus honestissimæ familiæ Schleiniciorũ, & in primis uiro optimo & ornatissimo parenti uestro: qui & priuatim de me bene meritus est, & publicè nunc de studijs optimè meretur. Ab eo enim tempore, quo ludi huius illustris administrationi & inspectioni præfuit, eius beneuolentia, opera, fidelitas, patrocinium nullo loco nobis defuit. quæ quia pietati & literis laudatissima beneficia præstat, à bonis & doctis recordatione celebri sunt commemoranda: quod quidem ego pro mea facultate, nunquam facere desistam. Valete. E' ludo illustri, Misenæ Hermundurorum, Nonis Ianuarij: Anno à nato Christo, generis humani unico redemptore, M. D. LX.

GREGORII

GREGORII BERSMANI ANNEBERGII.

DE VTILITATE ARTIS GRAMMATICAE.

Quis fuit, insignem PVERIS qui protulit artem?
Quàm bonus, & uerè commodus ille fuit.
Primus enim sterilis doctrinæ semina iecit,
Primus & ad Musas ille reclusit iter.
Tunc caput ingenuas nobis efferre per artes,
Tunc Clario licuit fonte leuare sitim.
At non ille tulit summam me iudice laudem,
Quamuis sit memori dignus ab orbe coli.
Nam rude semen erat, nec terris omnibus aptum,
Quod tantum in pingui luxuriabat agro.
Is nisi dente foret crebro renouatus aratri,
Nil nisi cum spinis gramen habebat iners.
Adde quod & densi complerant undiq; sentes,
In Labyrinthæas compita secta uias.
Rara per apricos ducebat semita colles:
Semita, sed positu uix adeunda loci.
Quàm potius meruit celebris præconia famæ,
Qui legit uario semina sparsa solo.
Ac lolium postquam, paleasq; remouit inanes,
Fecit ut humanis usibus apta forent.
Illius hæc laus est, qui Palladis inclytus arte,
Perplexum multis antè, relegit iter:
Obseruata regens certis diuortia filis,
Quæ dederat dubijs illa sequenda uijs.
Et nunc in tanto pars est communis honore
FABRICIVS, scripti dexter in omne genus.
Qui pariter doctæ comitatus fila Mineruæ,
Aonidum facilem struxit ad antra uiam.
Grammaticæ paruo comprendens dogmata libro,
Quæ prius in ueterum sparsa fuere libris.
Quæ non craßiloqui potuere uolumina Gotthi,
Scrinia nec Galli tradere uasta senis.
Explicat illa tribus feliciter omnia chartis,
Ambiguum breuibus, perspicuis ne magis.
Ac ne quid studijs posthac iuuenilibus obstet,
In tabulis eadem conspicienda dedit.
Quarum si posset manus æmula reddere formam,

Non

Non magis his Coi pulchra tabella foret.
Huc ergo celeri iuuenes pede carpite gressus,
Hîc datur ad Musas currere lata uia.
Castaliæ scatet hîc de gurgite riuulus undæ:
Qui bibit hinc, socijs plus sapit ille suis.
Qui bibit inde, sapit: iuuenes huc tendite, pulchra
Quos sitis optatæ cognitionis habet.
Vestraq́ Gorgonea perfundite tempora lympha,
Pegaseum spirent pectora uestra lacum.
Quisquis at hinc animum multa repleuerit arte,
Inscribat fonti uota, PERENNIS EAS.

AD LECTOREM.

In citandis auctorum locis usus sum ea diligẽtia, ut cum exemplis ueteribus manuscriptis quosdã cõferrem. quamobrem cùm ex ijs non paucos emendauerim, ne prẹberem calumniãdi occasionem aliquibus, si diuersum in suis inuenirent libris: eos separatim hoc loco annotare, & uulgatam etiam lectionem aut distinctionem corruptam deprauatam'ue addere uolui: tum ne quem scrupulum alicui relinquerem, tum ut meam fidem lectori probarem.

Numerus margini adiectus, paginas horum librorum significat.

AVCTORVM LOCI OBITER CITATI EMENDATIORES.

ANTIQVI POETAE.

144 Homo locum ornat, non ornat hominem locus. apud Charisium lib. 4. hic Senarius non legitur integer.

CICERONIS.

65 Nam illô si ueneris.1.Epist.ad Valerium.Vulgô, illuc.

149 Primùm tibi,ut debeo,gratulor.2. Epist. ad Cælium. plurimùm, pro primùm, perperam legitur.

157 Quæ si uideres, lacrymas non teneres, non: quid si cætera scribam? 7. Epist. ad Curium. Hunc locum in castigationibus Terentianis emendaui ante annos undecim, ex manuscripto.

65 Liceat modò istô uenire.9 ad Pætum,pro istuc.

148 Qui si conseruatus erit, uicimus: sin (quod Dij omen auertant) omnis omnium cursus est ad uos: 12. Epist. ad Cassium. Addita fuerunt superuacanea uerba, quæ prudenter sustulit Victorius.

157 Non sunt ab obsequio nostro,non:habent suas radices.10.Epist.ad Atticum.Locũ hunc emendauit Paulus Manutius.

147 Sales qui in dicendo nimium quãtum ualent.de Oratore.Legitur etiam,mirum quantum, qua forma orationis Liuius 1.ab V.C.utitur:altera Marcellinus lib.22. Ordo squalês occurrit populi,nimium quantum antehac florentissimus.

107 Illacryma patris pestibus:miserere.2. Tusculana. Malè hunc locum distingunt Linacer & Cælius: nempe, patris pestibus miserere. Est autem translatus de Trachinijs Sophoclis, τόλμησον οἴκτειρόν τέ με πολλοῖσιν οἰκτρόν.

117.189 Iteradum eadem mihi ista.2.Tusculana. Vbi Grammatici recentiores legunt, Iterandum,& pro gerundio adducunt. Videtur antiqui poetæ uersus esse, atq; ita legendus: Age, iteradum eadem mihi ista, nec enim satis intelligo.

CAELII.

175 Cæsar iratus senatui,exilit.8.Epist.ad Ciceronem. uulgò exijt. sed & Lucanus,
— & curia,& ipsi Exiliere patres.

CATVLLI.

131 Inger' mî calices amariores. Ad puerũ.uulgo,Ingere: alterum κατ' ἀποκοπὴν carmen requirit, ût Biber pro Bibere apud Terentium: quod annotauit Charisius.

122 Eheu quid faciant (dij) homines,cuiue habeant fidem? Ad Alphenum. Alij legunt, dic: alij dico. In Dij autem nihil eliditur. & est admirantis, uel exclamantis, ut alibi: Doctis (Iuppiter) & laboriosis.

129 Regium adepta es Coniugiũ,quo non fortius ausit alis. de Coma Berenices. Alis, pro alius, etiam à Prisciano obseruatum. Vulgata lectio nullum sensum habuit.

194 Troia (nefas) cõmune sepulchrum Europæ Asiæq;.ad Mallium. Vulgò omissa parenthesis, quæ sensum apertiorem facit: figura est ἀγανάκτησις. Nefas autem loco aduerbij ponitur. Virg. Sequiturq; (nefas) Ægyptia coniunx. Horat. lib.1. Odar.
Tu ne quęsieris scire (nefas) quem mihi, quem tibi Finem dij dederint.

GELLII.

75 Postquam est morte captus Plautus, Comœdia luget,
Scena est deserta: dein risus, ludu' iocusq;,
Et numeri innumeri simul omnes collacrumarunt.

lib.1.cap.24. tres sunt uersus heroici, imperitè distincti in codicibus impressis omnibus. Obseruauit eos primùm And. Alciatus, uel (ut alij uolunt) Ianus Parrhasius.

HORATII.

137 Cùm fracta uirtus, & minaces (Turpè) solũ tetigere mento. lib.2. Car. oda 7. Alij interpretantur, Turpe solum, cruore fœdatum: alij Turpe tetigere, pro turpiter. Verùm hoc loco tale est, ut alibi, Interq; signa (turpe) militaria sol aspicit Conopeum.

101.141 Daunus agrestium Regnauit populorum. lib.3. Carm. oda.30. hæc lectio Helenij & Porphirionis.

102.141 Quò tibi Tulli Sumere depositum clauum, fieriq; tribuno Inuidia accreuit? lib.1. Serm. Sat.6. è manuscripto & interpretibus. quod correctores fuisse ausos mutare, miror.

77 Dij tibi dent capta classem reducere Troia. lib.2. Serm. Sat.3. non deducere, ut in uulgatis. ἐκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν, εὖ δ' οἴκαδ' ἱκέσθαι. Homeri uersus est.

LVCANI.

89 Mensuraq; iuris Vis erit, hinc leges & plebiscita coactę. lib.1. Prisciani hæc est lectio. aliâs ponitur genus neutrum, coacta.

LVCR

LVCILII.

194 Lælius præclarè & rectè Sophos, illu'q; uerè. Versus hexameter, citatus à Cicerone 2. de Finib. in Lælius, eliditur S. in Illud, D. consonantes extremæ.

OVIDII.

50 Vello, in præterito Velli, non Vulsi, semper apud Ouidium obseruaui scriptum, in codibus antiquis.

94 Et flesti, & nostros uidisti flentis ocellos: in Oenone. ita legit Valla, & rectè: Naugerius pro nostros, substituit madidos, non rectè.

74 Nostin' an exciderint mecum loca? in Medea. Alij, Nescio an exciderint.

74 Sic mea perpetuis liquefiunt pectora curis. 1. de Ponto. Hactenus in excusis legitur omnibus, liquescunt: numeris non constantibus. sed liquefiunt uerè legitur in manuscripto.

92 Proximus à domina nullo prohibente sedeto. 1. De arte. ita Aldinum: alij, ad dominã.

98 In facili est omnia posse Deo. ibid. ex manuscripto. Ita Terent. In procliui est.

137.65 Iunge tuum lateri, quâ potes usque, latus. ibid. ita alibi: Quâ potes ambiguis callidus abde notis.

60 Multa rogant utenda dari, data reddere nolunt. Ibid. ex manuscripto. Plaut. in Aul. Quæ utenda uasa semper uicini rogant. uulgò legitur, Multa rogant reddenda dari, sed minus bene.

92 Curia consilij quæ nunc dignissima tanti. 3. De arte. ἑλληνισμὸς. pro consilio tanto, quod est in uulgatis.

175 Concidit, & subito muta dolore fuit. ibid. Muta inquam κατ' αὔξησιν, non mota. Vt in omnibus impressis legitur, excepto Augustano, quod ante septuaginta annos excusum est.

131 Ferrum Diana uolanti Abstulerat iaculo. 8. Met. uulgò, ferrumq; Diana.

77 In quem recidimus, quidquid mortale creamur. 10. Metam. Alij ex duobus manuscriptis legunt, Decidimus, contra sententiam: Glareanus emendat reincidimus, contra elegantiam.

195 Renouat lectusq; locusq; Halcyones lacrymas, & quę pars admonet, abstit. 11. Met. Abstit, pro absistit legit Priscianus, & idem inueni in manuscripto.

142 Figitur huic duplici Grynæus lumina ramo. 12. Metam. Triplex error in Asulanio & Gryphiano. hinc pro huic, Gryneus dissyllabum pro Grynæus, & Sua lumina pro lumina.

195 Et spumat testu pressus uterque suo. 5. Fast. ita in Aldino & manuscriptis. pro testa sua, κατ' ἀρχαϊσμόν.

138 O' quater, & quoties non est numerare beatum. 3. Trist. In quibusdam, ô quantum. Idem παραφραστικῶς. 11. De arte: O' quater, & quoties numero comprendere non est Felicem. qui etiam uersus in Asulanio est deprauatus.

116 Gratiq; erat instar honoris Carminibus nostris nomina uestra legi. 3. Trist. uulgò, Instar amoris. alterum etiam sententia requirit.

153 Ne noceam grato uereor tibi carmine. 4. Trist. in manuscripto. Grato carmine, quod ego gratus tibi offero.

153 Estur, ut oculta uiciata teredine nauis. 1. De Ponto. Teredine legendum, non putredine. Plin. lib. 16. Teredines rodunt dentibus, hæ tantùm in mari sentiuntur, nec aliam putant teredinem propriè dici.

PLAVTI.

113 Si opulentus it petitum pauperioris gratiam: in Aul. In Asulanio, Si opulento sit petitum: distractione literarum, scriptum enim more antiquo fuit, si opulentos it petitum.

64 Tempori, postquam impleuisti fustibus istorum caput. ibid. Hunc uersum in omnibus excusis omissum, è manuscripto reposuit præclarè doctus & diligẽs uir Camerarius. Ab hoc formauit comparatiuum Ouid. 4. Met. Modò surgis Eoo Temporius cœlo.

143 Eleusium huc intrò abi, abidum ad nos. ibid. E' Parisiensi quodam, adiecimus Abidũ, quod requirit uersus, & desideratur in alijs codicibus.

PROPERTII.

112 Milanion nullos fugiendo Tulle labores. lib. 1. ex carmine, quod asscribitur Musæo. † Vulgò mimalion.

80 Hypsipyle nullos post illa sentit amores. lib. 1. Vulgò, post illos, perperam. aduerbium antiquum, usitatum Plauto & Terentio.

62.119 Hic dominam exemplo ponat inante suam. lib. 2. Inante, composita ex duabus prępositionibus dictio.

172 Blan-

† ἤ ποτὶ μειλανίωνος ὀρασαμένων φύγε αὐτήν.

172 Blandinæq; fluant per mea colla rosæ. lib.4. Omnes impressiones uulgatæ habēt, Blanditiæ, pro Blandinæ: perfacili mutatione literarum. Blandinas rosas nominat κατ' ἐξοχὴν, ut sequentibus uersibus, uinum Falernum, & spicam Cilissam. Blanda urbs Brutiorum, secundum Melam & Plinium: Lucaniæ, secundum Ptolemæum. Illarum autem regionum loca propter amœnitatem & florum copiam, εὐλείμονα χωρία καὶ ἀνθηρὰ uocantur à Strabone: unde ex ijsdem rosaria quoq; Pæsti celebrantur à Virgilio.

PVBLII.

112 Casta ad uirum matrona parendo imperat. è manuscripto. Ad pro apud, quod habent exemplaria.

112 In iudicando criminosa est celeritas. ita manuscriptum. Erasmus legit, in uindicādo: sed & alterius lectionis meminit.

110 Refert bonorum exemplis puniri improbos. In uulgatis senarius hic non legitur, inuentus in manuscripto.

SALLVSTII.

146 Qui præsidij causa cum telis erant circum Concordiæ: in Catilinam. Expunxi è duobus manuscriptis accusatiuum, & interpres Horatij annotauit in mentione locorū sacrorum usitatam scriptoribus hanc casus omisionem.

128 Quidquid sine sanguine ciuium ulcisci nequitur, iure factum sit: in Iugurtha. Nequitur pro nequit, ex emendatione Beroaldi & Riuij, qui usi sunt antiquis exemplaribus.

TERENTII.

146 Ne tu hoc posterius mihi, Daui factum consilio aut dolis. in And. pro mihi, alij reposuerant dicas, quod est subintelligendum.

143 Neq; tu haud dicas, tibi non prædictum. ibid. Triplicata negatio, ab alijs inscitè mutata.

143 Age, nunc iam ego pol hodie, si uiuo. ibid. Triplicata affirmatio, quæ uulgò distinctione corrupta est.

101 Illi inuidere miserè, ego floccipendere. in Eun. Alij, ego non floccipendere.

164 Vt uestem cum eo mutem, & pro illo iubeam me illô ducier. ibid. Illo primum pronomen: illô in antiquis aduerbium, pro illuc.

64 Diem hoc iam Pyrrhus factitauit. ibid. Diem aduerbium, de quo plura in Castigationibus nostris. Qui meum exemplar secuti sunt Francofurtenses & Tigurini, hunc locum rursus deprauarunt, quem emendatum retinuerunt Lipsenses.

166.175 Satis diu hoc iam saxum uoluo. ibid. In alijs, uerso.

98 Lucescit hoc iam: cesso pulsare ostium uicini. in Heau. hæc uera distinctio, de sententia Turnebi & Mureti.

153 Qua causa id fiat, obsecundato in loco. Sed pater egreditur, caue quidquā admiratu' sis. ibid. Hunc locum personis aliter distinxit Robertus Stephanus: uerborum collocationē immutarunt Riuius & Muretus, contra fidem lectionis uetustæ.

98 Foris sapere, tibi non posse te auxiliarier. ibid. Te, uulgò omittitur.

115 Alij clanculum patres quæ faciunt. in Adel. antè legebatur, Clanculum patre.

143.189 Hoc tu facitodum animo cogites. ibid. non, facito tecum.

121 Phy, domi habuit unde disceret. ibid. In aliquot editionibus lectum fuit, Philosophos domi habuit, ridiculè sanè.

146 Cui rei est, ei rei hunc sumamus diem. ibid. Verba aliquot omissa, aliquot sunt perperam addita in omnibus exemplaribus.

122 Ita usq; aduersa tempestate usi sumus: odiosum. in Hec.

TIBVLLI.

149 Seu uetus in triuio florea serta lapis. lib.1. aliàs, florida.

195 Nanq; agor ut per plana citus loca uerbere turbo. Charisius legit turben, & reprehēdit.

VIRGILII.

68 Et super ipsi Dardanidæ infensi. 2. Æneid. aliàs, Insuper ipsi.

92 At rex sollicitus monstrorum. 7. Æneid. uulgò, monstris. Illud magis uidetur Virgilianum, & sapit Græcismum.

106 Moliri iam tecta uidet, iam fidere terra. ibid. Ita Linacer: sed aliàs semper cum datiuo apud eundem poetam.

80 Tuq; ô Tibri, tu ô genitor cum flumine sancto. 8. Æneid. In uulgatis, Tuo genitor cum flumine.

101.109 Tempus desistere pugnæ. 10 Æneid. uulgò, pugna, in superiore duplicatus ἑλληνισμὸς est.

FINIS.

E M E N D A T A.

[illegible] Blandimenta fluant per [illegible] colla rofea [illegible]. Omnes impressi [illegible] ut [illegible] habe[illegible]. [illegible] uero pro Blandimenta [illegible] mutatione [illegible]. Blandimenta [illegible] nominatur [illegible] quod tribus uerfibus [illegible] exemplar [illegible] Catullo Blandimentis [illegible] Melam & [illegible]: Lucanum secundum [illegible] [illegible] & forma [illegible] [illegible] quoq; Parfi celebrantur à Virgilio.

V E R G I L.

112 Castra ad unum matrona patendo [illegible] ipse. [illegible] quod [illegible] exemplaria.

113 In [illegible] loci [illegible] esse [illegible] [illegible] Erasmus legit [illegible] & [illegible] iure [illegible].

110 Referet bonorum exemplis punctis [illegible] In [illegible] hic non legitur, [illegible] uersus in [illegible].

S A L V S T I A.

124 Qui præfidij causa cum telis erant circum Concordiæ [illegible] Eius [illegible] bus [illegible] [illegible] temporibus [illegible] omissionem.

128 Quidquid sine sanguine ciuium [illegible] nequitur [illegible] Nequitur [illegible] qui [illegible] antiquis exemplaribus.

T E R E N T I A.

134 Ne tu hoc [illegible] consilij [illegible] dolis, in And. pro mihi [illegible] repofite [illegible] ex[illegible].

135 [illegible] haud [illegible] non [illegible] Triplicat [illegible] ab aliis [illegible] mutata [illegible] supra est.

136 [illegible] distinctio-

[illegible] Illi [illegible] ego [illegible] in Eun. Alij ego non [illegible] dependere.

[illegible] V [illegible] & pro illo [illegible] ibid. [illegible] pri[illegible] [illegible] in antiquis [illegible] pro illud.

[illegible] hac [illegible] Pyrrhus [illegible] ibid. [illegible] de quo plura in Castigatio- nibus nostris. Qui meum exemplar [illegible] & [illegible] hunc lecturam [illegible] quem emendatam [illegible].

[illegible] Satis diu hæc iam [illegible] uolo. ibid. In aliis uero.

[illegible] hoc [illegible] ibi [illegible] distinctio, de [illegible] Turnebi & Mureti.

[illegible] Qua causa id fiet, [illegible] in loco. Sed [illegible] admiratur [illegible] ibid. [illegible] locum [illegible] distinxit Robertus Stephanus [illegible] mutarunt Rivius & Muretus, contra fidem lectionis ueteris.

98 Foris sapere, [illegible] posse te auxiliarier. ibid. Te, uulgo omittitur.

115 Alij clanculum [illegible] quæ faciunt. In Adelante [illegible] clanculum patre.

[illegible] Hoc [illegible] animo cogites. ibid. non [illegible].

[illegible] domi habuit [illegible] differet. ibid. In aliquot [illegible] Philosophos [illegible].

[illegible] [illegible] sumamus diem. ibid. Verba aliquot omissa, aliquot sunt [illegible] in omnibus exemplaribus.

[illegible] aduersa tempestate [illegible] in Hec.

T I B V L L.

149 [illegible] in triuio [illegible] lapis. lib. [illegible].

[illegible] per [illegible] loca uerbere [illegible] urbem, & reprehendit.

V I R G I L I.

[illegible] Dardaniam [illegible] Aeneid. aliis [illegible].

[illegible] Atrox [illegible] uulgo, monstra [illegible] magis uidetur Virgi- [illegible], & [illegible].

103 [illegible] iam [illegible] ibid. In [illegible] semper cum [illegible] apud eundem poetam.

80 [illegible] genitor cum flumine [illegible]. 8. Aeneid. In uulgatis, [illegible] flumine.

101.139 [illegible] desistere pugnæ. 10. Aeneid. uulgo pugna [illegible].

F I N I S.

Figurarum Grammaticalium Græcus & Latinus Index.

INDEX IN FIGVRAS GRAMMATICAS GRÆCVS.

ἐντε-

INDEX.

ΤΕΛΟΣ.

INDEX IN FIGVRAS GRAMMATICAS LATINAS.

FINIS.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS PARTITIONUM GRAMMATICARUM, QUAE TABULIS DELINEATAE SUNT, Liber primus.

DE SUBIECTO GRAMMATICAE, ET DIFFERENTIA ARTIUM LOGICARUM.

Subiectum *Grammaticæ est oratio. Artes quæ circa orationem uersantur, sunt tres: Grammatica, Dialectica, Rhetorica, ideo λογικαὶ dictæ: sed differunt inter se rationibus*

- **Proprijs** *sex, quæ sunt sumptæ à rei ipsius natura, nempe à*
  - **Materia:** *agit enim*
    - *Grammatica de literis & dictionibus, & earum compositione.*
    - *Dialectica de sermone, sed præcipuè qualis est inter eruditos.*
    - *Rhetorica de oratione non tantùm erudita, uerùm etiam populari.*
  - **Forma:** *agit*
    - *Grammatica de uerbis, & eorum consecutione.*
    - *Dialectica de sententijs, & earum connexione.*
    - *Rhetorica de ornatu sententiarum, & earum amplificatione.*
  - **Genere elocutionis:** *habet enim orationem*
    - *Grammatica Latinam & emendatam.*
    - *Dialectica certam & probabilem.*
    - *Rhetorica amplam & splendidam.*
  - **Genere explicationis**
    - *Grammaticus interpretatur uocabula.*
    - *Dialecticus definit rem ipsam.*
    - *Rhetor utitur descriptionibus accidentium.*
  - **Effectu**
    - *Grammaticus nititur simplicitate.*
    - *Dialecticus pugnat uiribus.*
    - *Rhetor allicit apparatu.*
  - **Locis** *& temporibus: pertinet enim*
    - *Grammatica ad scholas pueriles.*
    - *Dialectica ad certamina philosophica.*
    - *Rhetorica ad forum atque curiam.*
- **Improprijs** *duabus: quæ sunt sumptæ à similitudine, uel*
  - **Naturali,** *ut manu in homine: similis est enim*
    - *Grammatica digitis.*
    - *Dialectica pugno.*
    - *Rhetorica palmæ. Huius extremæ partis etiam Zeno meminit philosophus.*
  - **Artificiosa,** *ut à pictore,*
    - *Grammatica similis est tabulæ.*
    - *Dialectica primis ductibus linearum.*
    - *Rhetorica uiuis coloribus.*

In studioso Grammaticæ requiruntur ueluti instrumenta:

- Natura, *φύσις, ingenij bonitas, ad percipiendum.*
- Labor, *φιλοπονία, ad studiorum continuationem.*
- Memoria, *μνήμη, quæ retinet & conseruat ea quæ percepta sunt.*
- Exercitatio, *μελέτη, quæ ad absolutionem studij pertinet.*

DE SERMONE.

Sermo emendatus constat

- Regulis, *quæ continent præcepta simplicia & propria, de literis, syllabis, & de tota oratione.*
- Vsu, *qui complectitur exceptiones, sumptas de communibus & peruulgatis exemplis à regula uariantibus.*
- Auctoritate, *quæ comprehendit doctrinam de figuris: quæ cùm plerunque pugnent cum regulis, non rarò etiam ab usu abhorreant, testimonio atque exemplo scribentium imitabiles fiunt.*

DE GRAMMATICA.

GRAMMATICA, quæ est certa loquendi & scribendi ratio, nomen habet à literis: ideoq; à Romulio Pollione, literatura dicta. Cuius diuisio est duplex:

- **ΘΕΩΡΗΤΙΚΗ,** quæ agit de fundamentis Artis: eaq; rursus distribuitur in
  - ὀρθογραφίαν, quæ docet rectè scribere.
  - ἐτυμολογίαν, quæ docet rectè flectere, et uerborũ originem ac proprietatem inuestigare.
  - προσῳδίαν, quæ docet rectè pronunciare.
  - σύνταξιν, quæ docet orationem Latinam facere.
  - Hæc uersatur circa
    - Literas & syllabas.
    - Dictiones.
    - Dictionum quantitatem.
    - Orationem.
  - Dicitur etiã hæc pars grãmaticæ,
    - ὁριστική, à Diomede, quia definiendo traditur.
    - διαιρετική, ab alijs, quia partiendo.
- **ΠΡΑΚΤΙΚΗ,** quæ complectitur usum artis: eaq; distribuitur in
  - ἀνάγνωσιν, lectionem quæ docet pronunciãdi rationem.
  - ἐξήγησιν, enarrationem, quæ sententiarum uel ambiguitatem, uel obscuritatẽ discernit atq; explicat.
  - ἐπανόρθωσιν, emendationem, in qua est errorum ac malæ imitationis correctio.
  - κρίσιν, iudicium, quod his omnibus præscribit modum.
  - Hæc uersatur circa
    - Doctrinã præceptorũ.
    - Interpretationem auctorum.
    - Scriptorũ correctionem.
    - Methodum in his omnibus adhibendã.
  - Hæc pars dicitur etiã
    - A materia
      - Communibus uocabulis
        - ἐξηγητική, propter uerborum interpretationem.
        - ἑρμηνευτική, propter explicationem sententiarum.
      - Proprio nomine, ἱστορική, propter inquisitionem antiquitatis, rerum gestarum, fabularum.
    - A personis, κριτική, tanquam censoria: nam eiusmodi critici summæ auctoritatis fuerunt, ut apud Græcos Aristarchus, Aristophanes Byzantius, & apud Romanos Tarpa.

DE LITERIS.

- Litera, *est minima pars uocis articulatæ. In literis consideranda tria sunt,*
  - Varietas *nominis, appellantur*
    - Literæ, γράμματα, *uel à legendo, quasi legiteræ, quòd in lectione iterentur: uel à linendo, quasi lituræ, quia ueteres in ceratis tabulis scribere solebant, & postea delere.*
    - Elementa, στοιχεῖα, *quasi prima orationis & huius doctrinæ capita, & fundamenta.*
    - Notæ, σύμβολα, *quia ijs dictiones exprimuntur.*
  - Diuisio Literarum *aliæ sunt*
    - Vocales, γράμματα φωνήεντα, *sic dictæ, quòd per se sonent, ac uocem edant: ex quarum compositione conflantur* Diphthongi AE, OE, AV, EV. *& antiqua* EI.
    - Consonantes, *σύμφωνα, quæ uocalibus cōsonant: eæq; rursus uel*
      - Mutæ, *ἄφωνα ἢ ἄφθογγα, ut* Plato *nominat: dictæ, non quòd prorsus obmutescant, sed sonum obtusiorem quàm* Semiuocales *reddant.*
      - Semiuocales, *ἡμίφωνα ἢ μέσα, ut* Plato: *quæ ad uocales propius accedunt.*
        - *Ex his quatuor sunt liquidæ,* L M N R. *& dicūtur* γράμματα
          - *ὑγρά, eo quòd liquescant in oratione.*
          - *ἀμετάβολα, quòd non mutentur in declinationibus nominum, aut temporibus uerborū apud Græcos.*
  - Commutatio, *quæ fit aut*
    - Simpliciter, *ut in casibus: ut sunt ij, qui cognationem inter se habent: ut pax pacis, dico dixi.*
    - In compositione. *eaq; fit aut in*
      - Vocalibus: } Vt { *Aptus, ineptus: capio, accipio.*
      - Diphthongis: } Vt { *Quæro, inquiro: plaudo, complodo.*
      - Consonantibus, *quarum commutatio tam in nominibus, quàm in uerbis diligenter est obseruanda: ut postea dicetur in figuris* Nominum *atque* Verborum.

DE ORTHOGRAPHIA.

ORTHOGRAPHIA (ut Fabius) est rectè scribendi scientia. Hæc habet considerationem

- Propriam, in qua uitanda
  - Additio, πρόσθεσις, cùm adduntur literæ non necessariæ. Vel in
    - Initio, κατ' ἀρχήν: ut, Lingnum.
    - Medio, κατὰ μέσον: ut, Legittimè.
    - Fine, κατὰ τέλος: ut, Quotiens.
  - Omissio, ἀφαίρεσις, cùm non scribuntur necessariæ, etiam in omnibus syllabis: ut, ligua, columa, prægnas.
  - Immutatio, μετάθεσις, cùm ponitur altera pro altera: ut, obtimus, opsonium, Hillus.
  - Transpositio, μεταβολή, cùm traijcitur aliqua: ut, Procus porcus, cordus codrus, ius uis.
  - Aspiratio, δασεῖα, ne interseratur, ubi locum non habet: quo uitio Arrium quendam notat Catullus, in Epigrammatis.
- Alienam, in qua spectāda nominis
  - Etymologia: in qua, quod ad rectè scribendum attinet, considerari solent
    - Origo, τὸ ἔτυμον: ut, ab oro, oratum, oratio: ab amicus, amici, amicicia.
    - Deriuatio, τὸ παράγωγον. Clypeus ἀπὸ τοῦ γλύφειν, stylus στύλος, scena σκηνή.
    - Vsus scribentium, χρῆσις. ut, præmium, pœna, præhendo, cœlum.
    - Distinctio, διάστιξις, cùm segregandæ syllabæ sunt, in qua rursus duo occurrunt:
      - Ratio, ne eæ consonantes, quæ in initio coniungi possunt, separentur in medio: ut, uenu-stas, uolu-ptas, o-mnis, ca-ptus, a-tlas, te-cmessa.
      - Cōpositio, ut præpositiones separentur à dictione cum qua cōponuntur: ut à
        - Nomine: præter-ea, abs-temius.
        - Verbo, dis-traho, ne-scio.
  - Prosodia: in qua etiā quantum ad orthographiam pertinet, obseruari debet
    - Tempus, χρόνος, quod differentiæ tantùm causa in dictionibus notatur: ut, Lābor laboris, lăbor laberis: cōlo colare, cŏlo colere.
    - Accentus, τόνος, qui apud Latinos etiam discretionis causa tantùm adhibetur: ut
      - Acutus: quándo interrogatiuū, quando infinitum.
      - Grauis: indignum sine accentu, indignùm aduerbium.
      - Circunflexus: ut, hic pronomen sine accentu, hîc aduerbiū.

¶ Opera danda est, ut & benè pingātur literæ, ut legi poßint: & distinguātur peritè, ut poßint intelligi. nam, ut Aristoteles ait libro tertio Rhet. ad Theodecten, ὅλως δεῖ εὐανάγνωστον εἶναι τὸ εἰρημένον, καὶ εὔφραστον. qui etiam Heraclitum philosophum, qui perperàm distinxerit uoces, reprehendit. Vt cùm uox aliqua diuersis adhiberi uerbis potest. tale est illud Terentij in prologo Andriæ: Dehinc ut quiescāt porrò moneo. nam τὸ porrò, potest referri & ad antecedens uerbum, ut sit, quiescant porrò, idest, in posterum, ut Donatus intelligit: & ad consequens, ut sit, Porrò moneo, idest, uehementer & ualde, ut Nonius Marcellus interpretatur. Ita in Eunuch. Quam ioco rem uoluisti à me tandem quim perfeceris? τὸ Tandem, si ad prius refertur, Voluisti à me tandem, est Comicum παρέλκον: sin ad posterius, Tandem quim perfeceris, locum in oratione proprium obtinet.

DE PROSODIA.

PROSODIA eſt, quæ uerſatur circa ſyllabas, & earum naturam oſtendit. Eſt autem ſyllaba, uel literæ uocalis, uel plurium literarum comprehenſio. In hac conſideranda ſunt hæc accidentia:

- **Numerus**, ἀριθμὸς, quouſque procedere in Latino ſermone literarum numerus poßit: ut, à, ab, arx, Mars, ſtans, ſtirps.
- **Spiritus**, πνεῦμα, quo ſyllabæ aliæ
  - Aſperæ: ut, Thrax, Phryx.
  - Lenes: ut, Mel, fel.
  - Prolixæ: ut, Mons, fons.
- **Ordo**, τάξις, quo ſyllabæ aliæ
  - Primæ.
  - Mediæ.
  - Extremæ.
- **Quantitas**, ποσότης, qua ſyllabæ aut
  - Breues.
  - Longæ.
  - Ancipites.
- **Tempus**, χρόνος, uel (ut Ariſtoteles) ῥυθμὸς, quod eſt mora uel correptio ſyllabæ: breuis enim, unum tempus habet: longa, duo: anceps, uaria.
- **Accentus**, τόνος, uel (ut Ariſtoteles nominat) ἁρμονία: quo ſyllaba eleuatur uel deprimitur pronunciando. Toni tres ſunt:
  - **Acutus**, ὀξὺς, ſeu Muſicorum uocabulo ἄρσις, quo ſyllaba pronunciando attollitur.
  - **Grauis**, βαρὺς, ſeu θέσις, quo ſyllaba medio uocis ſono uel æquabiliter profertur.
  - **Circunflexus**, uel (ut Cicero) inflexus, περισπώμενος, quo ſyllaba tractim & cum mora effertur: Muſicorum nomine βάσις.
  - In his conſiderandæ regulæ
    - **In pronunciando**
      - **Penultima breui**, accentus transfertur in antepenultimam: ut, Ómnibus hoc uicium eſt cantóribus inter amicos.
      - **Penultima longa**, accentus in eadem manet: uel acutus, ſi ultima longa ſit: uel circunflexus, ſi ſit breuis. ut, Hôſtis amâre quid increpitas, mortémq; minâris.
    - **In ſcribendo** accentum Latini non notant, niſi differentiæ cauſa: ut, péndere & pendêre, Éxcitus & excîtus: Fidícina, ſubſtantiuum, quæ canit fidibus: fidicîna adiectiuum. Virg. 7. Aurunci miſêre patres, Fidicináq; iuxta Litora. Vbiq;, una dictio ſine accentu: Vbíq;, pro & ubi, cum accentu. Catul. Vidit ſine quîs ubíq; foret.

DE ETYMOLOGIA.

ETYMOLOGIA uersatur circa orationem, & partium atque casuum discrimina in dictionibus tradit. In ea duo sunt consideranda:

- Varietas nominis. Appellatur
  - Etymologia, à Græcis: quia de ortu uocabulorum loquitur.
  - Originatio, à Scauro: eandem ob causam.
  - Veriloquium, à Cicerone.
  - Notatio, ab eodem.
- Partes orationis, quæ distinguuntur duplici modo:
  - Minus usitatè. Quidam enim faciunt
    - Duas, Nomen & Verbũ: ut Peripatetici, reliquas enim partes uocãt συγκατηγορήματα.
    - Quatuor, Nomẽ, uerbum, pronomen, coniunctionem: ut Stoici, qui etiã reliquas his includunt.
  - Vsitatè, numerantur octo:
    - Declinabiles, seu mobiles.
      - Nomen.
      - Pronomen.
      - Verbum.
      - Participium.
    - Indeclinabiles, seu immobiles.
      - Aduerbium.
      - Præpositio.
      - Coniunctio.
      - Interiectio.

DE NOMINE, ET EIVS DIVISIONE.

NOMEN *est pars orationis, quæ rem significat, non actionem. Id diuiditur in*

- **Propriũ,** ἴδιον, *quod uni soli cõuenit. Idq; uel*
  - **Generale,** γενικὸν, *quod rem uniuersam significat: ut sunt propria*
    - **Animalium** *uel ratione*
      - *Vtentium*
        - *Deorum, dearumq;: Iupiter, Iuno.*
        - *Virorum, mulierum: Vlysses, Penelope.*
      - *Non utentium*
        - *Canum: Melampus, Thyrbas.*
        - *Equorum: Bucephalus, Coritha.*
    - **Rerum** *cœlestium: ut,*
      - *Planetarum:* Vt *Mars, Venus.*
      - *Stellarum:* Vt *Arcturus, Corona.*
      - *Ventorum:* Vt *Eurus, Argestes.*
    - **Locorum:** *ut,*
      - *Regionum & insularum:* Vt *Italia, Sicilia.*
      - *Vrbium & oppidorum:* Vt *Roma, Cures.*
      - *Maris & sinuum:* Vt *Oceanus Germanicus, Sinus Baianus.*
      - *Fluuiorum & lacuum:* Vt *Tibris, Lacus Lucrinus.*
      - *Montium:* Vt *Melibocus, Sudetes.*
      - *Siluarum:* Vt *Hercinia, Bacenis.*
    - **Temporis:** *mensium: ut, Aprilis, Maius.*
  - **Speciale,** εἰδικὸν, *quod superiore comprehensum. Vt sunt propria*
    - *Fontium:* Vt *Hippocrene, Callirhoë.*
    - *Ostiorum:* Vt *Spineticum Padi, Pelusiacum Nili.*
    - *Viarum:* Vt *Appia, Flaminia.*
    - *Regionum:* Vt *Transtiberina, Cœlimontium.*
    - *Vicorum:* Vt *Cornelius, Argentarius.*
    - *Tribuum:* Vt *Martius, Sceleratus.*
    - *Pontium:* Vt *Muluius, Ælius.*
- **Commune** *seu appellatiuum,* κοινὸν ἢ προσηγορικὸν, *quod ad multos pertinet. Idq; duplex est:*
  - **Substantiuum,** ἐπουσιαστικὸν, *cuius significatio per se absq; altero addito intelligitur: quod est uel*
    - *Concretum:* Vt *Homo.*
    - *Abstractum:* Vt *Sapientia.*
  - **Adiectiuum,** ἐπίθετον: *cuius significatio, non addito altero, intelligi non potest. Id rursus duplex. Aliud enim*
    - *Non comparatur: ut, aliquis.*
    - *Comparatur: de quibus dicetur infrà copiosè.*

¶ *Diogenes & Chrysippus philosophi, duas orationis partes ex una fecerunt. Nomen appellarunt, qualitatem propriam: ut, Apollo, Ceres. Appellationem uerò, qualitatem communem: ut templum, ciuitas. Græci etiam distinxerunt inter Articulum & Nomen. Articulus est pars orationis, distinguens genera & numeros: ut hæc domus, hi homines. Nomen est pars orationis, distinguens qualitates proprias & communes.*

DE ACCIDENTIBVS.

ACCIDENTIA, παρεπόμενα, quæ adhærent nominibus, sunt sex:

- Genera, γένη, sunt septem:
  - Masculinum, — Græcè: ἀρσενικόν.
  - Fœmininum, — θηλυκόν.
  - Neutrum, — οὐδέτερον.
  - Commune, — κοινόν.
  - Omne, — πᾶν.
  - Promiscuum, — ἐπίκοινον.
  - Dubium.
- Numeri, ἀριθμοί, sunt duo:
  - Singularis, — ἑνικός.
  - Pluralis. — πληθυντικός.
- Figuræ, σχήματα, sunt duæ:
  - Simplex, — ἁπλοῦν σχῆμα.
  - Composita. — σύνθετον.
- Casus, πτώσεις, sunt sex:
  - Nominatiuus, — εὐθεῖα ἢ ὀρθή.
  - Genitiuus, — γενική.
  - Datiuus, — δοτική.
  - Accusatiuus, — αἰτιατική.
  - Vocatiuus, — κλητική.
  - Ablatiuus.
- Declinationes, συζυγίαι ἢ κλίσεις, sunt quinque:
  - Prima, — πρώτη.
  - Secunda, — δευτέρα.
  - Tertia, — τρίτη.
  - Quarta, — τετάρτη.
  - Quinta, — πέμπτη.
- Species, εἴδη, sunt duæ:
  - Primitiua, — εἶδος πρωτότυπον, ἢ ἡγεμονικόν.
  - Deriuatiua. — εἶδος παράγωγον.

DE GENERE.

GENERVM agnitio est, aut

- Simplex, quæ fit per articulos. cognoscimus enim
  - Masculinum, Fœmininum, Neutrum, Commune, Omne, cùm præponitur articulus:
    - Hic.
    - Hæc.
    - Hoc.
    - Hic, hæc.
    - Hic, hæc, hoc.
  - Promiscuum, cùm uno articulo duo genera complectimur: ut, hic bubo, hæc panthera.
  - Dubium, cùm articulis duobus pluribus'ue rem unam notamus: ut hic & hæc finis, hic & hæc & hoc penus.
- Artificiosa, quæ fit triplici modo:
  - Significatione, σημασίᾳ.
  - Terminatione, λέξει.
  - Auctoritate, παραδείγματι.
  - Per regulas:
    - Generales ✶
    - Speciales ✤
    - Exempla auctorum ☾

SIGNIFICATIO.

* DE REGVLIS GENERALIBVS.

REGVLA generali, nomina quædã

- Masculini generis sunt, ut
  - Virorum: Antipho, Clinia, Dauus, Achilles, Hector.
  - Virilium officiorum: Consul, poëta, præco.
  - Mensium: Ianuarius, Aprilis, Septembar.
  - Ventorum: Auster, Argestes, Cæcias.
  - Fluuiorum: Albis, Rhenus, Elister.
  - Excipiuntur quædam
    - Fœminina: ut, Allia, Styx, Lethe.
    - Neutra: Iader.
- Fœminini generis,
  - Mulierum: Penelope, Phyllis, Sappho. Exceptis Græcis, Glycerium, Dorcium.
  - Muliebrium officiorum: ut, obstetrix, mater.
  - Regionum: Ægyptus, Illyris, Germania.
  - Vrbium: Carthago, Lacedæmon, Roma. Ex his tamen quædam sunt
    - Masculina, uel
      - Singularia: ut, Croto, Sulmo.
      - Pluralia: Gabij, Philippi.
    - Neutra in
      - E. Preneste, Cære.
      - VM. Tarentum, Mediolanum.
      - VR. Anxur, Tibur.
      - A. Pluralis numeri tantùm: ut, Susa, Ecbatana.
  - Arborũm: ut, abies, salix. exceptis quibusdam
    - Masculinis: ut, oleaster, spinus.
    - Neutris: ut, acer, robur pro quercu.
- Neutri, eaq; aut
  - Declinabilia
    - Leguminum: cicer, papauer.
    - Fructuum: cerasum, pomum. Exceptis fœmininis: ut, glans, & nux. & huius speciebus: ut, castanea, auellana.
  - Indeclinabilia: ut sunt
    - Literarũm. Pers. Et potis es uicio nigrum præfigere θῆτα. Ad quem ordinem referuntur
      - Verba loco nominum posita: ut, Postquàm illud uiuere triste Aspexi.
      - Item aduerbia: ut, Iam cras hesternum consumpsimus.
      - Item quæ τεχνικῶς dicũtur: ut, Species est primum prædicabile.
    - Numeralia à quatuor ad centum: ut, quinque, decem, uiginti, nonaginta, centum.
- Communis generis sunt
  - Gentilia: ut, Macedo, Dalmata.
  - Appellatiua quædam, uel sub
    - Vno articulo: ut, hic parens, homo, hæres: hæc uirgo, hi liberi.
    - Duobus: ut, hic & hæc aduena, municeps, uates, ciuis, exul, dux, auctor, hospes, antistes.
    - In his etiam fœminina in usu sunt: ut, hospita, antistita.
  - Adiectiua: ut, hic & hæc imbecillis.
- Omnis generis sunt Adiectiua, quæ tam de uiris ac mulieribus, quàm alijs rebus dici possunt, sub una terminatione: ut, prudens, degener, frugi, nequam, & totidem.
- Promiscui generis sunt animantium nomina, uel sub articulo
  - Masculino: ut Hic passer, hic bombyx.
  - Fœminino: ut Hæc aquila.
  - Vtroque: ut Hic & hæc dama, bos, bubo, grus, lynx.

TERMINATIO.

DE TERMINATIONE NOMINVM IN GENERE.

Nomina uel Latina, uel Latinis usitata, terminantur literis quindecim:

- Vocalibus quinque.
  - A
    - Latina: ianua, conuena, Troiugena.
    - Græca: planeta, Musa, schema.
    - Barbara: Thuria, fluuij nomen in Africa.
  - E
    - Latina: cubile, & compositum proconsule.
    - Græca: parasceue, Niobe, Tempe.
  - I Peregrina sunt omnia: ut, Stimmi, gummi, sinapi.
  - O
    - Latina: mucro, oratio, pondo, fullo, hirundo.
    - Græca: Carthago, Calypso.
  - V Latina omnia: ut, Tonitru.
- Semiuocalibus sex
  - L
    - Latina: sol, præsul, pugil, uectigal.
    - Barbara: Hannibal, Tanaquil, Daniol.
  - M
    - Latina: scamnum.
    - Græca: Phanium.
    - Barbara: Al raham.
  - N
    - Latina: flamen, nomen, fidicen, attagen.
    - Græca: Titan, Syren, Trachin, Helicon.
    - Barbara: Laban.
  - R
    - Latina: ager, sequester, amor, calcar, sulfur.
    - Græca: æther, thenar.
    - Barbara: ut, Anxur, oppidi nomen in Campania: Gadir, in Hispania.
  - S
    - Latina: loripes, anceps, bidens, pietas, fides.
    - Græca diuersa: elephas, heros, typus, hydrops, Ilias, paradisus, cacoëthes, melos, pelagus.
    - Barbara: Acinaces, quod est Persicum, quæ plerunque in s finiunt, ut est apud Herodotum.
  - X
    - Latina: codex, fornax, pulex, coniunx.
    - Græca: thorax, mastix, onyx.
- Mutis quatuor.
  - B Barbara tantum: Aminadab, Iacob.
  - C
    - Latina: halec, lac.
    - Barbara: Isaac.
  - D
    - Latina: aliud, illud.
    - Barbara: Nimrod, Bogud.
  - T Latina: ut, caput, sinciput.

His additur uocalis Y in Græcis: ut, moly. Item H aspiratio, in barbaris: ut, Lamech, Loth.

DE REGVLIS SPECIALIBVS.

Regulæ speciales co-

Vocalium:

A fœminina sunt: ut, Hæc stella, hæc Ariadna.

Excipiuntur in A:
- Masculina, quæ à Græcis primæ declinationis formantur: ut, hic Cometa, Spartiata.
- Neutra, quæ à Græcis quintæ declinationis descendunt: ut, hoc Poëma.
- Communia sunt, quæ utrunq; sexum notant: ut, hic & hæc incola, uerna, indigena: ut Virgilius, Hæc nemora indigenæ Fauni, Nymphæq; tenebant.

E Latina, neutra sunt: ut, Mare.

Excipiuntur in E: Fœminina, quæ Græcam habent originem: ut, Epitome, Euadne.

I peregrina, neutra sunt: ut, Gummi, Sinapi, Stimmi.

O plerunque masculina sunt: ut, Sermo.

Excipiuntur in O:
- Fœminina sunt in Do. Go. Io. Quæ duas syllabas excedunt: Harundo, Imago, Religio. Quibus additur Caro.
- Sed & Masculina sunt dissyllaba: ut, Ordo, ligo. quod tamen in nominibus in io, non obseruatur: ut, Scipio, unio.
- Neutrum unum est, pondo.
- Communia sunt, Latro, margo, cupido: sed hoc significatione diuersa.

V neutra sunt: ut, Genu, ueru.

Consonãtium:

- C neutra sunt: Vt Lac, halec.
- D neutra: Aliud, aliquid.
- L neutra: Tribunal, mel.
- M neutra: Templum.
- N neutra: Flumen.
- S fœminina, præcedente Vocale, laus. Consonante, B, L, M, R: ut, Trabs, puls, hiems, mors.
- T neutra sunt: ut, Caput.
- X fœminina sunt: ut, Fornax, supellex, radix, uox, lux, faux, falx, lanx, arx.

Excipiuntur in:
- L:
  - Masculina: sal, mugil, sol.
  - Fœmininum: strigil.
- N:
  - Masculina, pecten, ren, splen, lien. Et à cano composita, Fidicen, cornicen, tibicen. Item, Græca: ut, Pæan, Hymen, Salamin, Helicon.
  - Fœminina, Syren, Babylon, icon.
- S: Masculina in NS: Dodrãs, bidens, mons. PS: Cyclops, hydrops.
- X:
  - Masculina, in Ax, Græca tantùm: ut, Thorax, lymax.
  - Item, Grex, codex, frutex.
  - Item, Bombyx, sandix, calix, fornix, uarix, natrix, spadix, onyx, phœnix.
  - Item partes aßis: Quincunx, septunx, deunx.

gnoscuntur terminatione Syllabarũ:

- AR, neutra sunt: ut, Calcar, torcular.
- ER, masculina:
- IR, masculina:
- OR, masculina:
- VR, neutra:
- AS, fœminina:
- ES, tertiæ declinationis fœminina:
- IS, fœminina:
- OS, masculina:
- VS, secũdæ & quartæ declinationis, masculina sunt:

Vt

- Imber, carcer, ager.
- Vir, cum compositis.
- Amor, uapor.
- Sulfur, guttur.
- Pietas.
- Ædes, merces, seges. Item quintæ: ut, fides.
- Amußis.
- Flos, mos, heros.
- Annus, arcus.

Excipiuntur in

- ER
  - Neutra, quæ desinunt in
    - VER,
    - TER,
    - Vt
      - Cadauer.
      - Iter.
  - Item in BER quædam: ut, Suber, tuber.
- OR
  - Fœmininum, arbor.
  - Neutra: cor, æquor, marmor, ador.
- VR, Masculinum est furfur.
- AS
  - Masculina: As, uas uadis, adamas, elephas.
  - Neutra: Vas uasis, fas, nefas.
- ES
  - Masculina: præs, uerres, pes, cum quibusdam compositis.
  - Item quæ Genitiuũ in ITIS et IETIS correptas faciunt: ut, fomes fomitis, aries arietis.
  - Item Græca, magnes, lebes. Et unum quintæ declinationis, meridies.
  - Neutrum, Æs: & Græca, Hippomanes, cacoëthes.
- IS
  - Masculina, in quibus L uel N litera IS antecedit: ut, panis, funis: aqualis, natalis.
  - Item quæ penultimam quauis ratione habent longam: ut, caulis, collis, &c.
  - Excipiuntur pestis, uestis, febris, uallis, peluis, turris, & alia quædam.
  - Item quæ ERIS uel IDIS faciunt genitiuum: ut, Cinis cineris, lapis lapidis.
  - Item ab As composita: ut, semißis, treßis, decußis, centußis.
- OS
  - Fœminina: cos, dos, Eos pro aurora.
  - Neutrum, os: & Græca, melos, chaos.
- VS
  - Fœminina: uannus, humus, acus, manus, tribus, porticus, colus, domus. Et quod plurale tantùm est Idus. Sic Græca, methodus, eremus.
  - Gemmarum nomina: ut, amethistus. Excipiuntur, berillus, opalus, smaragdus. Item quæ V in obliquis retinent: ut, salus, uirtus.
  - Neutra: uulgus, uirus, pelagus. Item tertiæ declinationis: ut, corpus, uulnus.

DE IIS QVAE COGNOSCVNTVR AVCTORITATE.

- NOMINA, *quorum genus auctoritate cognoscitur, aut*
  - Trium *sunt generũ, idq; uel*
    - Vna terminatione: *ut*
      - Intercus, *masculino, apud Plautũ in Friuolaria, Intercus morbus.*
        Fœminino, apud Ciceronem 3. Offic. Intercus aqua.
        Neutro, apud Gellium libro decimotertio, Intercus uicium.
      - Penus, *masculinum. Plaut. in Pœn. Nisi penus annuus hodie conuenerit.*
        Fœmininum. Virgilius 1. Æneid. Quibus ordine longam Cura penum struere.
        Neutrum. Horat. 1. Epist. Annonæ prosit, portet frumenta, penusq́.
      - Specus, *masculino genere. Ouid. Est specus in medio, natura factus, an arte.*
        Fœminino. Silius: Tabificam expirat saniem specus ultima.
        Neutro. Virg. Hic specus horrendum, & sæui spiracula Ditis.
    - Diuersis terminationibus. *uel*
      - Duabus: *ut, hic barbitus. Horat.*
        Age dic Latinum Barbite carmen.
        Hæc barbitus. Ouidius:
        Non facit ad lachrymas barbitus ulla meas.
        Hoc barbitum. Ausonius:
        Hoc genere & chordas, & plectra, & barbita conde.
      - Tribus: *ut, hic symbolus, pro signo uel anulo. Plaut. in Pseud.*
        Modò epistolam hanc intercepi, & symbolum.
        CH. Symbolum: quem symbolum?
        Hæc symbola, & hoc symbolum, pro collatione. Idem in Sticho:
        Symbolam dabo, & iubebo ad Sangarinum cœnam coqui.
        Terent. in And. Symbolum dedit, cœnauit.
  - Duorum, *idq; uel*
    - Eadem *significatione, ut in numero*
      - Singulari,
        - *Adeps, aluus.*
        - *Carbasus, cinis, clunis, cortex.*
        - *Faux, finis.*
        - *Imbrex.*
        - *Linter.*
        - *Margo.*
        - *Obex.*
        - *Penus, puluis, pumex.*
        - *Scrobs, serpens, silex, specus.*
        - *Torquis.*
      - Plurali,
        - *Sentes.*
        - *Vepres.*

Nomina, *quorum genus auctoritate cognoscitur, aut* — Duorum, *idq; uel* — Diuersa *significatione: ut*

- Dies: *quòd si masculinum est, partem temporis significat: sin fœminimum, significat tempus.*
- Stirps, *masculino genere de arboribus tantùm dicitur: ut, Cùm semel in siluis imo de stirpe recisum. Fœminino de hominibus atq; arboribus, item de alijs rebus: ut, Stirpes superstitionis, apud Ciceronem.*
- Calx, *pro pedis parte extrema, & masculinum & fœmininum est: pro extremitate rei cuiusuis, tantùm masculinū. Cicero: Sumus ab ipso calce, eius interpellatione reuocati. Pro lapide cocto, fœmininum. Plinius: Calx recens, aspersa aquis. In antiquis legibus: Lita politaq;, & calce uda dealbata. Ibidem: Calcis restinctæ partem quartam addito.*

Huc pertinent *Græca quædam*
- Masculina, } Apud Latinos — *Fœminini generis:* Vt — *Hæc costus, paradisus.*
- Fœminina, } Apud Latinos — *Masculini generis:* Vt — *Hic balanus, camelus, cythisus, narcissus.*

¶ *In his autem usus optimorum auctorum considerandus, quibus ipsi aut terminationibus, aut generibus usitaté ea nomina protulerunt.*

II.
¶ DE NVMERO.

Nvmeri *duo sunt:*
- Singularis, *cùm de uno sermo est: ut, Amicus.*
- Pluralis, *cùm de pluribus sermo est: ut, Amici.*

In numeris *duo consideranda:*
- Propria *nomina singularis tantùm numeri sunt natura sua, sed usu etiam plurali usurpãtur: idq; fit, uel*
  - Differentiæ causa, *cùm plures sunt cognomines: ut, Marcelli, Plinij, Scipiones, Valerij.*
  - Excellentiæ gratia, *cùm unum aliquem præstantem significamus: ut apud Virgilium, Extulit hæc Decios, Marios, magnosq; Camillos.*
- Quædam *pluralis numeri, significatione singularia sunt: ut, Athenæ, Pometij, Susa, Tralles. De quibus suo loco infrà dicetur.*

III.

¶ DE FIGVRA.

FIGVRAE duæ sunt:

- **Simplex,** *quæ est prima nominis positio: ut,* Doctus.
- **Composita,** *cui aliquid adiungitur: ut,* Indoctus. *In composita figura quatuor consideranda:*
  - **Substantia,** *cum quibus orationis partibus componi soleant.* Componuntur, uel cum
    - Nominibus:
    - Verbis:
    - Pronominibus:
    - Præpositionibus:
    - Vt
      - *Omnipotens.*
      - *Horrifer.*
      - *Eiusmodi.*
      - *Iniquus.*
  - **Quantitas,** *ex quot partibus orationis componantur.* E
    - Duabus:
    - Tribus:
    - Vt
      - *Semiuir.*
      - *Inexhaustus.*
  - **Qualitas,** *quibus modis componãtur, uel*
    - **Vsitate:** *idq;*
      - **Nulla** *mutatione facta, ut quæ fiunt ex duobus integris: ut, iusiurandum.*
      - **Facta** *mutatione, ut quæ fiũt ex*
        - Duobus *corruptis: ut, Artifex.*
        - Integro *& corrupto: ut,* Insulsus.
        - Corrupto *et integro: ut,* Meridies.
        - *Mutãtur autẽ, aut*
          - Vocales: *ut,* A in
            - E, *aptus ineptus.*
            - I, *amicus inimicus, sapiens insipiens.*
            - V, *salsus insulsus.*
          - Diphthongi: *ut*
            - AV in O, *aula olla, plaustrum plostrum.*
            - OE in V: *ut, poena punio.*
          - Consonãtes, *ut*
            - D,
            - G,
            - M,
            - In
              - F, *Affinis.*
              - N,
                - *Ignarus.*
                - *Tantundem.*
    - **Minus usitatẽ,** *ut ex*
      - Peregrino & Romano: *ut, monoculus, thermopotare.*
      - Peregrinis duob. *ut, autographũ, Sardanapalus.*
  - **Habitus,** *quo demõstratur nominis flexio in casibus obliquis. De qua hæ tenendæ sunt regulæ*
    - **Nomen** *e duobus nominatiuis integris compositum, ex utraque parte declinatur: ut,* Respublica *reipublicæ.*
    - **Nomen** *e nominatiuo & obliquo compositum, una tantummodo parte inflectitur: ut,* Iurisperitus Iurisperiti.
    - **Nomen** *compositum e duobus obliquis, ubique sui simile est, & flecti nullo modo potest: ut,* Eiusmodi.

IIII.

DE CASIBVS.

In casibus *consideranda tria*:

- Diuersitas *nominũ*, *τῶν ὀνομάτων ποικιλία*,
  - Nominatiuus, Genitiuus, Datiuus, Accusatiuus, Vocatiuus, Ablatiuus, *Qui &*
    - Nominatiuus: *Rectus.*
    - Genitiuus: *Patrius, Possessiuus.*
    - Datiuus: *Acquisitiuus, Commendaticius.*
    - Accusatiuus: *Causatiuus, à Charisio: Casus paßionis, à uetustißimis.*
    - Vocatiuus: *Salutatorius.*
    - Ablatiuus: *Casus Latinus, à Varrone: Comparatiuus, ab alijs.*
- Definitio, *ὁρισμός.*
  - Nominatiuus, Genitiuus, Datiuus, Accusatiuus, Vocatiuus, Ablatiuus, *Est, quo*
    - Nominatiuus: *Nominamus aliquid.*
    - Genitiuus: *Vtimur interrogati, cuius uel originis, uel possessoris res sit.*
    - Datiuus: *Vtimur attribuendo aliquid cuipiam.*
    - Accusatiuus: *Personam aut rem uerbo subijcimus.*
    - Vocatiuus: *Vocamus.*
    - Ablatiuus: *Vtimur, cùm auferri aliquid ostendimus.*
- Notæ, *seu indicia, τὰ μηνυτήρια:*
  - Nominatiui, Genitiui, Datiui, Accusatiui, Vocatiui, Ablatiui, *Nota est, cùm interrogamus per*
    - Nominatiui: QVIS.
    - Genitiui: CVIVS.
    - Datiui: CVI.
    - Accusatiui: QVID, *cum uerbo actiuo.*
    - Vocatiui: O, *uocandi Aduerbium.*
    - Ablatiui: QVARE, VBI, À QVO.

¶ *His casibus ueterum scholæ omnes, Prisciano tantùm excepto, addunt etiam casum septimum: quando scilicet Ablatiuus aut*

- Absolutè *ponitur, quod fit aut*
  - *Cum nomine:* Vt *Auctore Cicerone.*
  - *Cum participio:* Vt *Imperante Cæsare.*
- Aut *sine præpositione effertur: ut Virgilius:*
  Consilio hanc omnes, animisq; uolentibus urbem Afferimur.
  Idem: Ibat, & ingenti sese clamore ferebat.

V.
¶ DE DECLINATIONIBVS.

Declinationes sunt quinque: singularum agnitiones fiunt per literas terminales, ut

- Primæ,
  - A nominum uel
    - Latinorū:
    - Græcorū:
    - Vt Stella, indigena. Musa, cometa.
  - AS. ES. E. Græcorum tantùm: ut Æneas. Anchises. Eurydice.
- Secūdæ, nominum
  - Latinorū, quæ generis sunt uel
    - Masculini, in ER, IR, VR, VS, Vt Sacer. Vir. Satur. Dominus.
    - Neutri in VM: ut Scamnum.
  - Græcorum in EVS: ut, Tydeus.
- Tertiæ, uel
  - Vocales quatuor A, E, I, O, Vt Stemma. Sedile. Stimmi. Oratio.
  - Consonantes sex L, N, R, S, T, X, Vt Vectigal. Carmen. Iubar. Salus. Caput. Ceruix.
- Quartæ, VS, V, Vt Fructus. Cornu.
- Quintæ, ES: ut, Species,

Cuius genitiuus desinit in

AE,	Stellæ.
I,	Sacri.
IS,	Vectigalis.
VS,	Fructus.
EI,	Speciei.

SCHEMATISMVS OMNIVM DECLINATIONVM.

SINGVLARIS.

	I.	II.	III.	IIII.	V.
N.	A. AS. ES. E.	ER. IR. VR. VS. EVS. VM.	A. E. I. O. L. N. R. S. T. X.	VS. V.	ES.
G.	Æ. ES.	I.	IS.	VS.	EI.
D.	Æ. E.	O.	I.	VI.	EI.
A.	AM AN EN.	VM.	EM. IM	VM.	EM.
V.	A. E.	R. E. EV. VM.	A. E. I. O. L. N. R. S. T. X.	VS.	ES.
A.	A. E.	O.	E. I.	V.	E.

PLVRALIS.

	I.	II.	III.	IIII.	V.
N.	AE.	I. A.	ES. A	VS. A	ES.
G.	ARVM.	ORVM.	VM. IVM.	VVM.	ERVM.
D.	IS.	IS.	BVS	BVS.	EBVS.
A.	AS.	OS. A.	ES. A.	VS. A.	ES.
V.	AE.	I. A.	ES. A.	VS. A.	ES.
A.	IS.	IS.	BVS.	BVS.	EBVS.

DE IIS QVÆ SVNT OBSERVANDA IN SINGVLIS DECLINATIONIBVS, QVÆQVE VARIANT A COMMVNI REGVLA.

DE PRIMA DECLINATIONE.

In prima *declinatione, à regula communi interdum discrepant*

- Nominatiuus: *ut in proprijs in* AS, *quæ etiam* A *faciunt: ut Procas, & Proca. Ouidius decimoquarto Metamorph.*
  Iamq; Palatinæ summam Proca gentis habebat.
  Verg. 6. Æneid. Proximus ille Procas, Troianæ gloria gentis.
- Genitiuus
  - Singularis: *hic mutatus interdum ab antiquis est, ut in Nominibus*
    - Impuris, *quæ resolutam habent diphthongum: nam pro Aulæ, ueteres dixerunt Aulai.*
    - Puris, *& in* RA *desinentibus, in quibus diphthongus* AE, *in Græcam terminationem* AS *mutatur: ut, custodias, apud Sallustium, pro custodiæ: auras, pro auræ, apud Virgilium.*
  - Pluralis, *qui in nominibus compositis admittit syncopen: ut, cœlicolûm, pro cœlicolarum, apud Virgilium.*
- Datiuus *pluralis, qui in quibusdam nominibus* ABVS *finit: ut, ambabus, animabus, deabus, dominabus, duabus, equabus, filiabus, libertabus, mulabus, natabus, puellabus.*

¶ DE SECVNDA DECLINATIONE.

- In secunda declinatione obseruanda duo, terminationes & formationes casuum
  - Vsitatorum, quales sunt in singulari
    - Nominatiuus, qui declinatur aut
      - ἰσοσυλλάβως, pari numero syllabarum: ut quæ finiunt
        - VS, ut, Deus Dei.
        - VM, templum templi.
      - περιττοσυλλάβως, quorum syllabæ augentur in obliquis, ut quæ terminantur in
        - VR, Satur Saturi.
        - IR, Vir uiri.
        - EVS, Orpheus Orphei.
      - Vtroque modo, ut quæ in ER desinunt: ut, faber fabri, adulter adulteri.
    - Accusatiuus, qui in nominibus neutris in utroque numero similis est nominatiuo.
    - Vocatiuus, qui in nominibus desinentibus in
      - ER, IR, VR, VM: Similis est nominatiuo: exceptis in R Græcis. Prop. Librorumq; tuos docte Menandre sales. μένανδρος, ὦ μένανδρε.
      - VS
        - Impurum, mutat VS in E: ut, Dominus Domine. Excipiuntur, Deus, populus, fluuius.
        - Purum, qui abijcit VS, & retinet uocalem antecedentem: ut, Filius fili, Mercurius Mercuri.
      - EVS, qui S extremam literam abijcit: ut, Tydeus Tydeu.
  - Non usitatorum, ut in numero
    - Singulari
      - Genitiuus nominum
        - In VS, qui in IVS fit in quibusdam nominibus: ut, Nullus nullius, totus totius, ullus ullius, unus unius: quorum genitiuus quantitate indifferens est. Alius alius, solus solius: quorum genitiuus semper producitur. Neuter neutri & neutrius, penultima longa.
        - In EVS, qui apud poëtas duplex est:
          - In ει contractum, à quinta declinatione. Virg. Relliquias Danaûm, atque immitis Achillei. à nominatiuo ἀχιλλεύς.
          - In εω, à quarta declinatione Atticorum. Idem: In foribus lethũ Androgeo. à nominatiuo ἀνδρόγεως, τοῦ ἀνδρόγεω.
      - Datiuus
        - In EVS, qui aliquando Græcam terminationem retinet: ut apud Virg. Orpheî Calliopea, Lino formosus Apollo. Orphêi, Orpheî.
      - Accusatiuus
        - In EVS, qui Accusatiuũ in A facit: ut, Idomenêa ducem regnis cessisse paternis. ἰδομενῆα.
        - A Græcis nominibus in ΟΣ formatus, qui ON terminationem retinet. Ouid. Cùm uideat fessum Rhadamanthyn & Aeacon annis. Horat. Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenem.
    - Plurali
      - Genitiuus, qui in aliquibus
        - Facit Syncopen, uel
          - Vsitato loquendi more: ut, nummûm, triumuirûm, de quibus Cicero in Oratore.
          - In carmine tantùm: ut Virg. Non uis ulla uirûm: pro uirorum.
        - Duplicem casum habet, ut in nominibus festorum: nam quædam cùm tertiæ declinationis sint, Genitiuos mutuãtur ex secũda: ut, Saturnaliorum, Bacchanaliorum, Agonaliorum, Vinaliorum: de quibus lege Macrobium.

¶ DE TERTIA DECLINATIONE, DE GENITIVO.

Genitiuus singularis uariam habet formatio-[nem]:

- Vocales. Nomina in
  - A Græca, assumunt TIS: — Vt Poëma poëmatis.
  - E, mutant E in IS: — Vt Cubile cubilis, mare maris.
  - I non declinantur: — Vt Sinapi.
  - O, recipiunt NIS penultima longa: ut, Iuno Iunonis, sermo sermonis. Excipiuntur
    - Gentilia, penultima breui: ut, Macedo Macedonis, Saxo Saxonis. Excipe, Vasco Vascōnis.
    - In DO & GO, abijciunt O, & assumunt INIS, breui penultima: ut, Margo marginis, ordo ordinis, quibus adduntur, Apollo Apollinis, homo hominis, nemo neminis. Excipiuntur, spado spadōnis: item bibo, cerdo, comedo, helluo.
    - Anio anienis, Caro facit carnis.
- Consonantem unam
  - C: ut, Halec halecis, lac lactis.
  - D: Bogud Bogudis, Dauid Dauidis.
  - L, communiter assumunt IS: ut, tribunal tribunalis. In duobus gemmatur consonans postrema: ut, fel fellis, mel mellis. — In his penultimam habent
    - Longam, in AL communia, & in EL propria: ut, animal animalis, Daniel Danielis: quibus adijce, Sol Solis.
    - Breuem
      - In AL & IL propria: ut, Hannibal Hannibalis, Tanaquil Tanaquilis: et unum commune, sal salis.
      - In IL & VL cōmunia: ut, exul exulis, uigil uigilis.
  - N
    - Latina
      - Quæ ENIS faciunt, penultimam producunt: — Vt Anien Anienis, splen splenis.
      - Quæ INIS habent, eandem corripiunt: — Vt Carmen carminis, flamen flaminis.
    - Græca, quædam
      - Vocalem, qualiscunque est, quæ NIS terminationem præcedit, producunt: ut, Alcon Alconis, Salamin Salaminis, Siren Sirenis, Titan Titanis, Trachyn Trachynis. Ab his excipiuntur, Halcyon Halcyonis, Hymen Hymenis, Iason Iasonis, Lacedæmon Lacedæmonis, Strymon Strymonis. Nam Orion Orionis, penultimam modò longam, modò breuem habet.
      - Ad nominatiuum TIS assumunt: ut, Charon Charontis, Demophoon Demophoontis.

...nem nominum desinentium in

- Consonantem unam
  - R, aut
    - IS assumunt: ut, nectar nectaris, mulier mulieris, arbor arboris, uultur uulturis.
    - Ante RIS syllabam, mutam habent: ut, celeber celebris, acer acris, siluester siluestris.
    - Excipiuntur, in quarum penultimis fit aut
      - Correptio: ut, Lar laris, Cæsar Cæsaris, iubar iubaris, carcer carceris, uber uberis, martyr martyris, marmor marmoris, turtur turturis, robur roboris.
      - Productio: ut, Nar Naris, torcular torcularis, uer ueris, Iber Iberis, color coloris, fur furis.
      - Geminatio: / Immutatio: Vt, Far farris. / Epar epatis.
      - Interpositio, uel Literæ unius: / Syllabarum: Vt, Cor cordis. / Iter itineris, iecur iecinoris.
      - Græca quædam penultimam corripiunt: ut, aër aëris, æther ætheris. Plura producunt: ut, spinter, crater, character characteris.
  - S
    - Purum, DIS habent: ut, Laus laudis, præs prædis.
    - Impurũ, quæ habent ante literã terminalem
      - B, M, P, assumpto I penultimã corripiunt: ut, Arabs Arabis, hiems hiemis, inops inopis.
        - Excipiuntur
          - Græca: Cyclops Cyclopis, Conops Conopis. item, plebs plebis, penultima longa.
          - Quæ E nominatiui in I mutant: ut, cœlebs cœlibis. Et composita à nomine caput: ut, biceps bicipitis. Item à uerbo capio: ut, particeps participis. Excipe, auceps aucupis.
      - L, N, R, terminalem in TIS mutant: ut, puls pultis, mens mentis, mors mortis.
        - Ex his: Quædam tenuem in mediam conuertunt, & genitiuum in DIS faciunt: ut, glans glandis, frõs frondis. Item adiectiua à cor composita: ut, discors, concors, uæcors, misericors.
  - T: ut, Caput capitis. Eodem modo composita, occiput, sinciput.
  - X, quædam genitiuum
    - In CIS faciunt: ut, fornax fornacis, codex codicis, bombyx bombycis, calix calicis, ferox ferocis, redux reducis, deunx deuncis.
    - In GIS: ut, lex legis, coniux coniugis, Phryx Phrygis, phalanx phalangis.
    - Excipiuntur remex remigis, supellex supellectilis, nox noctis, nix niuis, senex senis.
    - In his penultimam
      - Producunt, quæ in AX, IX & OX desinunt: ut, thorax thoracis, perdix perdicis, ferox ferocis. Excipiuntur, fax facis. Item Græca: ut, corax coracis. Item, calix calicis, filix filicis. Item præcox præcocis, & gentilia Allobrox Allobrogis.
      - Corripiunt in EX & YX: ut, opifex opificis, tradux traducis. Excipiuntur, ueruex ueruecis, regis, legis, uibicis. Item, Pollux Pollucis.

Genitiuus singularis uariã habet formationem nominũ, desinẽtium in

- Vocalem sequente cõsonante: ut in
  - AS penultimam per ATIS productam faciunt: ut, pietas pietatis.
    - Excipiuntur
      - Græca,
        - Masculina, in quibus aliquid interponitur: ut, adamas adamantis, Teuthras Teuthrantis.
        - Fœminina, quæ densam in mediam mutant: ut, lampas lampadis, Mœnas Mœnadis.
      - Monosyllaba, quæ à regula excidunt: ut, uas uadis, uas uasis, mas maris.
  - ES
    - Isosyllaba terminationem nominatiui in IS mutant: ut, pubes pubis.
    - Perittosyllaba, quædam
      - ETIS habẽt, modò correptã, ut, teges tegetis: modò productã, ut, locuples locupletis.
      - ITIS correptã: ut, miles militis, sospes sospitis.
      - Ex his quædam
        - Tenuem mutãt in mediam: eaq; aut
          - EDIS habent, uel
            - Productam: ut, merces mercedis.
            - Correptam, ut à pes cõposita: ut, compes compedis.
          - IDIS correptam, ut composita à sedeo: ut, deses desidis, obses obsidis.
        - Extra regulam sunt duo, Aes æris, Ceres Cereris.
  - IS
    - Isosyllaba, in genitiuo cum nominatiuo conueniunt: ut, hic piscis, huius piscis: hæc diœcesis, huius diœcesis.
    - Perittosyllaba, quædã habent
      - IDIS correptã: ut lapis lapidis, Apis Apidis, pro Deo culto ab Ægyptijs.
      - ITIS productã: ut, lis litis, Samnis Samnitis.
      - Excipiuntur
        - Quæ ab antiquis nominatiuis in ER ueniunt, ERIS in genitiuo retinent: ut, uomis uomeris: cuius generis sunt, puluis, cinis, cucumis.
        - Quæ à nominatiuis in EN, in genitiuo INIS faciunt: ut, pollis pollinis, sanguis sanguinis.
        - Extra regulam est, glis gliris.
        - Græca suo more declinãtur: ut Salamin Salaminis, Phorcyn Phorcynis, Simois Simoëntis, Trieteris Trieteridis.
  - OS, quædam
    - ORIS habẽt: ut, flos floris, honos honoris.
    - OTIS: cos cotis, sacerdos sacerdotis.
    - Excipiuntur
      - Compos compotis, impos impotis, quæ penultimam corripiunt.
      - Item, custos custodis, os ossis, bos bouis.
      - Græca: ut, Minos Minois, Platyceros Platycerotis.
  - VS
    - Fœminina quædam
      - VTIS faciunt: ut, uirtus uirtutis.
      - VDIS: ut, palus paludis.
      - Excipiuntur
        - Pecus pecudis. Intercus intercutis. (Penultima correpta.)
        - Tellus telluris.
    - Neutra, aut
      - ERIS habent: ut, genus generis, latus lateris.
      - ORIS: ut, frigus frigoris, tempus temporis.
    - Duo masculina à regula excidunt: ut, Lepus leporis, Ligus Liguris.
    - Monosyllaba VRIS faciunt: ut, mus muris, thus thuris. Excipe grus & sus, quæ gruis & suis faciunt.
    - Græca suam retinent formam: ut, Opũs Opuntis, Macherũs Macheruntis.

DE ACCVSATIVO.

Accusatiui terminatio uaria est:
- Latina quædam accusatiuum faciunt in
  - EM: / IM: Vt
    - Sacerdotem, sermonem.
    - Turrim, securim, tußim, sitim, uim, restim, puppim, peluim, burim. Item propria, Albim, Fabarim, Tiberim.
  - EM & IM: ut, Febrem febrim, nauem nauim. Sic puppis, restis, securis.
- Græca item quædam accusatiuum habent in
  - A. Virgilius: Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros: τὸν ἕκτορα.
  - O circunflexum. Idem. —Et nomine Didô Sæpe uocaturum: τὴν διδῶ.
  - IN, Propert. —Attritis Daphnim arundinibus: τὸν δάφνιν.
  - VN, more Ionico: ut, τὴν σαπφοῦν, διδοῦν, quibus usos esse ueteres, annotauit ex Atteio Charisius.

DE VOCATIVO.

Vocatiuus, aut
- Similis est nominatiuo: ut apud Latinos.
- Finalem nominatiui literam abijcit, ut in nominibus Græcis desinentibus in
  - AS, / ES, / IS, Vt
    - Pallas Palla, pro Euandri filio.
    - Chremes Chreme.
    - Alexis Alexi.

DE ABLATIVO.

Ablatiuo quædam

- E finiuntur, ut usitatè pleraque: Sermone, Sacerdote.
- I faciunt: ut
  - Neutra in
    - E: cubile cubili.
    - AL: tribunal tribunali.
    - AR: calcar calcari.
    - Excipe far, iubar, nectar, epar.
  - Adiectiua, quæ genus neutrum in E faciunt: ut, acer acri, dulcis dulci.
  - Nomina propria
    - Gentis, Aquinas Aquinati.
    - Mensis, December Decembri.
  - Ea nomina quæ in accusatiuo IM habẽt: ut, bipennim bipenni, nauim naui.
- E & I terminant, ut
  - Adiectiua, quæ una terminatione generis omnis: ut felix, à felice uel felici.
  - Comparatiua: ut, peior à peiore uel peiori.
  - Substantiua quædam in
    - IS: ut ignis ab igne & igni, amnis, anguis, auis, canalis, ciuis, postis, uectis, unguis.
    - L, R, X, NS, Vt
      - Vigil.
      - Imber.
      - Supellex, uictrix.
      - Tridens.
  - Quæ in accusatiuo utranque terminationem habent: ut febris à febre & febri.
  - In his tamẽ duabus terminationib9 Grãmatici ueteres differentiã uolunt esse significationis, quod
    - E terminatio significat circumstantiam: ut, Salutaris, ab hoc Salutare, si homo sic uocetur.
    - I accidẽs: ut, ab hoc salutari, si res sit, ut est medicamentum. Plura exempla refert Charisius.

DE NOMINATIVO PLVRALI.

Nominatiuus pluralis desinit aut in

- ES, / A, Vt in
  - Nominibus masculinis & fœmininis. Vt Sacerdotes.
  - Nominibus neutris. Vt Munera.
- IA, ut in neutris, quorum Ablatiuus singularis uel per
  - I tantum desinit: ut, uectigalia.
  - E & I: ut paria, felicia.
  - Excipe neutra: & comparatiuos, maiora, minora, plura.

DE GENITIVO.

Terminatio Genitiui est duplex:

- In VM nominum, quæ est communis terminatio: ut, Virginum, Sermonum, Sacerdotum.
- In IVM: ut sunt
  - Quorum nominatiui terminantur uel
    - Duabus consonantibus: Vt Vrbs urbium, frons frondium, cohors cohortium.
    - Vna duplice: Vt Falx falcium, merx mercium.
  - Desinentia in
    - ES
    - IS
    - Quæ non crescunt genitiuis: ut Ædes ædium. Vitis uitium.
    - Excipiuntur in
      - ES: merces mercedũ, uates uatum.
      - IS: panis, canis, iuuenis, uolucris.
  - In ES pluralia tantum: ut, manes manium, optimates optimatium. Excipiuntur, ambages ambagum, cœlites, primores, proceres, opes.
  - Pleraque monosyllaba: ut, cors cordium, lis litium, mas marium, mus murium. Excipiuntur in
    - R, Vt Fur.
    - S, Vt Pes, flos, mos, crus, laus, fraus. Bos facit boum.
    - X, Vt Nux, rex, uox.
  - Quorum ablatiuus singularis desinit uel per
    - I tantùm: Vt Cubilium.
    - E & I: Vt Felicium.
  - Gentilia quædam: Vt Arpinas Arpinatium.
  - Festorum nomina: Vt Floralium, Saturnalium.

DE ACCVSATIVO.

Accusatiui terminatio, aut est

- Vsitata, ut ES, A, In genere
  - Masculino & fœminino: ut, hi & hæ felices.
  - Neutro: ut, hæc felicia.
- Minus usitata, eaq; uel
  - Poëtica in EIS, à genitiuis in IVM.
    Horatius: Docte sermoneis utriusque linguæ.
    Virgilius: Vrbeis'ne inuisere Cæsar.
    Quam terminationem Victorinus primùm docuit scribendam per EI, differentiæ causa: id quod uetustißimi non fecerunt.
  - Græca in AS. Vt Virg. Crateras magnos statuunt.
    Idem: Sparsasq; per æquor Cycladas.

DE DATIVO ET ABLATIVO.

Datiuo & Ablatiuo nomina
- Latina, BVS terminantur: Vt Fluminibus.
- Græca in A neutra duplici modo finiuntur: Vt Epigramma Epigrammatibus, & Epigrammatis.

DE QVARTA DECLINATIONE.

In quarta declinatione a regula communi discrepant. In numero
- Singulari,
  - Masculina & fœminina, quorum
    - Genitiuum uetustißimi fecerũt aut
      - In VIS diuisas syllabas: ut, Senatuis, anuis: sed ijs utendum nobis non est. Varro de liberis educandis: Anuis ut sanguis deterior, sic lac.
      - In I: ut, Ornati, tumulti, pro ornatus & tumultus. Vnde Senaticonsultum mansit apud Salustium: quibus etiam amplius non est utendum.
    - Datiuum ueteres in V fecerunt. Terent. Vestitu nimio indulges: Virgil. Venatu inuigilant pueri. pro uestitui & uenatui, quæ poëtis tantùm relicta sunt.
  - Neutra in V non declinantur: quamuis apud Plinium cornus in genitiuo, apud Ouidium cornum in accusatiuo legatur.
- Plurali, Datiuus & ablatiuus, qui cùm usitatè in IBVS fiant, in quibusdam VBVS habent: ut, acus, arcus, artus, ficus, lacus, partus, portus, quercus, questus, specus, tribus. Et unum neutrum, quod est ueru.

DE QVINTA DECLINATIONE.

In quinta declinatione, in numero
- Singulari, genitiuus desinit in
  - EI, uel
    - Productum, Vt in Nominibus puris: Vt Dies diei.
    - Correptum, Vt in Impuris: Vt Spes spei, fides fidei.
  - E longum, quo Cœlius & Sallustius in historia usi sunt: & qui tantùm apud Poëtas remanserunt.
    Virgilius: Libra die somniq; pares ubi fecerit horas.
    Ouidius: Prima fide uocisq; ratæ tentamina sumpsit.
- Plurali
  - Genitiuus in ERVM.
  - Datiuus & ablatiuus in EBVS.

  Qui tamen in non multis nominibus reperiuntur.

DE ANOMALIS.

Anomala, *idest inæqualia, quæ communem formam non se-*

- Genere, *& dicuntur ἐναλλακτικὰ ἢ μεταθετικά, quādo aliud genus in aliud mutatur: ut quædā quæ in singulari sunt*
  - Masculina, *in plurali sunt*
    - Masculina & neutra: *ut, hic locus, hi loci, & hæc loca.*
    - Neutra, *quod fit in proprijs montium: ut, hic* Dindymus, *hæc* Dindyma: Taygetus, Taygeta.
  - Fœminina, *in plurali neutra: ut, hæc* Pergamus, *hæc* Pergama: *hæc* Carbasus, *hæc carbasa.*
  - Neutra *in plurali, uel*
    - Masculina: / Masculina & neutra: / Fœminina: / Fœminina & neutra: — *Vt hoc*
      - *Cœlum, hi cœli.*
      - *Frenum, hi freni, & hæc frena.*
      - *Epulum, hæ epulæ.*
      - *Balneum, hæ balneæ, & hæc balnea.*
- Numero, *& appellantur ἐλλειπτικά, quæ sunt uel*
  - Singularis *numeri tantùm: ut*
    - Masculina: / Fœminina: — Vt
      - *Aër, mundus, Sol.*
      - *Aluus, gloria, plebs. Ad quæ pertinent nomina*
        - Ætatum: / Artium: / Virtutum: / Viciorum: — Vt *Puericia. Grammatica. Fides. Ira.*
    - Neutra: *ut, hoc æuū, ad quæ pertinent nomina*
      - Fructuum *externorum: ut, Zinziber, piper, crocū.*
      - Metallorum: / Leguminum: / Liquorum: — Vt *Aurū, argentū, plumbum. Milium, panicum. Oleum, acetum.*
  - Pluralis *numeri tantùm, eaq; rursus uel*
    - Masculina: / Fœminina: — Vt
      - *Annales, artus, cancelli. Item propria*
        - Oppidorum: *Philippi.*
        - Populorum: *Vbij.*
      - *Ædes, dapes, facetiæ. Item propria*
        - Locorum: *Thermopylæ.*
        - Oppidorum: *Cumæ.*
    - Neutra: *ut, hæc arma, crepundia, mœnia. Ad quæ pertinent nomina*
      - Propria, *τὰ τῆς οὐσίας*
        - Regionum: *ut, Bactra.*
        - Oppidorum: *ut, Susa.*
        - Montium, *Ceraunia.*
        - Festorū, *Orgya.*
      - *τὰ τῆς ὑποταγῆς, quæ sunt hominū arbitrio disposita: ut appellatiua*
        - Rerum: *ut, Bucolica, Georgica.*
        - Temporum: *Æstiua, hyberna.*
        - Locorū: *ut, auiaria, uiuaria.*
      - ¶ *In hac uarietate duo obseruanda,*
        - Antiquitas, *quæ solis poëtis in usu: ut, Soles occidere: apud Catullum.*
        - Varietas: *quædam enim mutatione numerorum, mutant etiā significationem: ut animus animi, armus arma, forum fori.*

quuntur, quæq; ad regulam non quadrant, quatuor sunt generum. Fiunt enim uel

- Casu, quæ deficiunt aut in
  - Omnibus casibus: ut sunt
    - ἄπτωτα, quæ uel
      - Solum nominatiuum habent: Vt Mane, expes.
      - Eundem solùm regularem habent: Vt Iupiter, Diespiter.
    - Μονόπτωτα, quæ in nominatiuo & obliquis una semper terminatione finiũtur, ut sunt
      - Adiectiua: Frugi, nequam.
      - Externa: Gummi, stimmi.
      - Numeralia, à quatuor usque ad centum.
  - Quibusdam, ut
    - Μονόπτωτα, quæ unum obliquum habent, uel relatum ad casus
      - Omnes, significatione diuersa: ut, Eiusmodi.
      - Singulos, ut quæ habẽt solùm
        - Vocatiuum: ut, Macte.
        - Ablatiuum: Sponte, uerbere.
    - Δυόπτωτα, quæ duos casus habent, uel
      - Nominatiuum Et Genitiuum: Vt Tantundem tantidem.
      - Nominatiuum Et Accusatiuum: Vt Inficiæ inficias.
      - Nominatiuum Et Ablatiuum: Vt Astus astu, fors forte.
      - Accusatiuum Et Ablatiuum: Vt Vicem, à uice.
    - Τριόπτωτα, quæ flectũtur tribus casibus,
      - Nominatiuo, genitiuo: Et ablatiuo: ut Tabus, tabi, à tabo.
      - Nominatiuo, accusatiuo: Et ablatiuo: ut Lues, luem à lue.
      - Nominatiuo, accusatiuo & uocatiuo: ut sunt
        - Nomina neutra tertiæ: ut, Maria, mella.
        - Nonnulla quartæ: ut, Laurus.
        - Quintæ: ut, Species. Specierum enim & speciebus non dicitur.
    - Τετράπτωτα, quæ quatuor casus obliquos habent, carentes uel
      - Nominatiuo: ut, Dapis, frugis, opis, precis.
      - Vocatiuo, qualia sunt
        - Negatiua: ut, Nullus.
        - Interrogatiua: Quis.
        - Distributiua: Quisque.
        - Partitiua: Alter.

- Declinatione, quæ uocantur ἑτερόκλιτα, hoc est diuersè inflexa: quæ diuersitas fit aut in
  - Eadē significatione, uel
    - Casu recto: idq; uel in
      - Eadem declinatione, genere aut
        - Non mutato, ut in declinatione
          - Prima:
          - Tertia:
          - Vt.
            - Procas Proca, Anchises Anchisa.
            - Suauitas suauitudo, necessitas necessitudo.
        - Mutato, uel
          - Masculino in neutrū, ut in declinatione secūda: ut, hic angiportus, hoc angiportū.
          - Neutro in masculmum: ut in quarta, hoc tonitru, hic tonitrus.
      - Declinatione mutata, idq; uel in numero
        - Singulari, permutata uidelicet declinatione
          - Prima, cum
            - Secunda: buccina, buccinum.
            - Tertia: iuuenta, iuuentus.
            - Quinta: barbaria, barbaries.
          - Secunda, cum tertia: uel genere
            - Non mutato: ut, capus, capo.
            - Mutato: ut, contagium, cōtagio.
          - Tertia, cum
            - Prima, uel genere
              - Non mutato: ut, despectio, despicientia.
              - Mutato: ut, crater, cratera.
            - Secūda: ut, Arabs Arabis, Arabus Arabi.
            - Quinta: ut, paupertas, pauperies.
          - Quarta, cum
            - Prima: ut, testu, testa.
            - Secunda: ut, euentus, euentum.
            - Tertia: ut, accessus, accessio.
          - Quinta, cum tertia: ut, mollicies, mollitudo.
        - Plurali, permutata declinatione
          - Prima cum secunda: ut, Grammatica Grammaticæ, Grammatica Grammaticorum.
          - Secunda, cum
            - Prima: ut, epulum epuli, epulæ epularum.
            - Tertia: ut, iugerū iugeri, iugera iugerū.
          - Tertia cum secunda: ut, uas uasis, uasa uasorum.
    - Obliquis, quæ diuersitas rursus est uel in
      - Eadem declinatione: ut, Chremes Chremis, & Chremetis.
      - Mutata declinatione, ut
        - Prima, cū tertia: ut, Cambyses, Cābysæ, & Cābysis.
        - Tertia, cum
          - Secunda: ut, Œdipus, Œdipodis & Œdipi.
          - Quarta: ut, Ficus, huius fici et ficus.
        - Quinta cū tertia: ut, Requies, requiei & requietis.
  - Diuersa significatione: idq; uel in
    - Eadē declinatione, uel
      - Mutatione literarum: ut, Frons frondis, pro ramo: frons frontis, pars capitis anterior. Lens lendis, pro animalculo: lens lētis, genus leguminis. Vas uadis, sponsor: uas uasis, quod continet aliquid.
      - Interpositione: ut, Cassis cassis, rete: cassis cassidis, galea. Apis apis, animal: Apis Apidis, bos Ægyptius. Stipes stipis, merces: stipes stipitis, trūcus. Pallas Palladis, dea: Pallas Pallantis, dux Arcadum.
      - Quantitatis uariatione: ut, turbo turbĭnis, tempestas, uel trochus puerilis: Turbo Turbōnis, proprium gladiatoris nomen.
    - Diuersis declinationibus, quæ non modò declinationibus, sed et generibus, & quantitate et scribendi ratione discernūtur. Qualia sunt
      - Anus ani, πρωκτός, πυγή: anus anus, γραῦς. Arcus arci, pro Iride: arcus arcus, tormenti genus. Cestus cesti, Veneris uel Gratiarum cingulum: cestus cestus, lora pugilum. Fides fidis, chorda: fides fidei, fiducia. Acer acris, adiectiuum: acer aceris, genus tiliæ. Latus lati, adiectiuum: latus lateris, quod infra axillam est. Acus aci, genus piscis: acus aceris, palea, σκύβαλον: acus acus, instrumentū ad nendum texendumq; accōmodatum. Palus pali, stipes: palus paludis, stagnum. Sinus sini, uasis genus: sinus sinus, gremiū uel recessus. Canthus canthi, ferrum in rota: cantus cantus, cantio. Cetus ceti, piscis grandis: cœtus cœtus, multitudo. Pilus pili, capillus: pila pilæ, qua luditur: pilum pili, genus hastæ missilis.

¶ DE COMPARATIONE.

- **Adiectiva** comparantur, quorum significatio augeri minuíue po- test. Com-
  - Regulariter, quæ sunt ἀνάλογα, quæ habent ἰσότητα καὶ ἀκολουθίαν, in quibus est usitata ac regularis similitudo. In his obseruāda sunt duo
    - Gradus, & eorū terminationes: ut sunt
      - Positiuus, θετικός, prima uox adiectiui: cuius terminationes sunt
        - R. S, X, NS. Ut: Saluber. Doctus, fortis. Felix. Sapiens.
      - Comparatiuus, συγκριτικός, quo alterum alteri comparando præfertur. Cuius terminationes sunt
        - OR, Masculinorū & fœmininorum: ut, doctior.
        - VS, Neutrorū: ut, doctius.
      - Superlatiuus, ὑπερθετικός, quo unum aliquid multis, aut etiam omnibus sui generis præfertur. Huius terminationes sunt
        - RIMVS: SIMVS: LIMVS: Ut: Acerrimus. Doctißimus. Facilimus.
    - Regulæ, quales sunt
      - Positiui:
        - Positiuus quorundam nominum duplicem habet terminationem: ut, Imbecillus imbecillis, saluber salubris.
        - Positiuus in R & VS mouetur per tria genera diuersis terminationibus: ut, hic doctus, hæc docta, hoc doctum: hic sacer, hæc sacra, hoc sacrum.
        - In IS duobus generibus, & totidem terminationibus: ut, hic & hæc dulcis, & hoc dulce.
        - In X & NS una tantummodo terminatione: ut, hic & hæc & hoc felix, sapiens.
      - Comparatiui:
        - Comparatiuus fit à casu positiui, I terminato, adiecto OR: ut, pudicus pudici pudicior.
        - Quæ habent VS purum, nomina per positiuum & aduerbium circumscribuntur: ut, pius, magis pius.
        - Quæ descendunt à Dico, uolo & facio, sequuntur terminationem eorum quæ NS finiunt: ut, maledicus maledicentior, beneuolus, magnificus.
      - Superlatiui:
        - Quæ R finiunt à nominatiuo positiui faciunt superlatiuum, adiecto RIMVS: ut, acer acerrimus.
        - Quæ S & X desinunt, à casu positiui in I desinente formāt superlatiuū, assumpta litera S & SIMVS: ut, audax audaci audacißimus, doctus docti doctißimus.
        - Nomina quinque sunt in S exeuntia, quorū superlatiuus in LIMVS desinit: ut, facilis facili facilimus. Sic agilis, gracilis, humilis, similis, cum compositis.

test. Comparatur autem uel

- Irregulariter, quæ sunt ἀνώμαλα, quæ habent ἀνισότητα & ἀνακόλουθον, in quibus non est usitata & regularis similitudo. Eaq; rursus duorum sunt generum. Quædam enim sunt
  - ἐλλειπτικά, quæ carent certis gradibus, uel
    - Positiuo: ut, Ocyor, ocyßimus.
    - Comparatiuo: ut
      - Pius, pijßimus uel pientißimus.
      - Exiguus, exiguißimus.
      - Inuitus, inuitißimus.
      - Inclytus, inclytißimus.
      - Meritus, meritißimus.
    - Superlatiuo: ut
      - Adolescens, adolescentior.
      - Iuuenis, iunior.
      - Senex, senior.
      - Longinquus, longinquior.
      - Ingens, ingentior.
      - Proximus, proximior.
  - Planè ἀνώμαλα & ἀνακόλουθα, quæ omnino deflectunt à regula & consuetudine communi
    - Bonus, melior, optimus.
    - Malus, peior, peßimus.
    - Magnus, maior, maximus.
    - Paruus, minor, minimus.
    - Dexter, dexterior, dexterrimus & dextimus.
    - Sinister, sinisterior, sinisterrimus & sinistimus.

DE SPECIE NOMINIS IN GENERE.

SPECIES nominis duplex est:

- Primitiua, εἶδος πρωτότυπον ἢ ἡγεμονικόν, uel (ut Seruius) principalis: eaq; aut est in nominibus
  - Proprijs.
  - Communibus.
  - Proprijs & communibus simul.
- Deriuatiua, εἶδος παράγωγον, quæ etiam descendit aut à
  - Nominibus, uel
    - Proprijs, qualia sunt
      - Patronymica, πατρωνυμικά.
      - Gentilia, ἐθνικά.
    - Appellatiuis, ijsq; uel
      - Adiectiuis,
      - Substantiuis,
      - Vtrisque.
      - Qualia sunt
        - Abstracta, ἀφῃρημένα.
        - Possesiua, κτητικά.
        - Diminutiua, ὑποκοριστικά.
        - Denominatiua, παρώνυμα.
  - Ab alijs orationis partibus, quæ appellantur
    - Verbalia, ῥηματικά.
    - Participialia, μετοχικά.
    - Aduerbialia, ἐπιρρηματικά.

DE PRIMITIVA SPECIE.

- Primitiua species, *quæ à nulla alia descendit,*
  - Proprijs. *Omne autem propriũ, aut est*
    - Connexum, θ' ἅμα ἴδιον. Vt
      - Prænomen, προώνυμον, *quod suo & proprio cuique præponitur.*
      - Cognomen, ὁμώνυμον, *quod est gentis aut familiæ.*
      - Agnomen, φερώνυμον, *ab aliquo euentu inditum.*
      - Vt: *M. Antonius, P. Sestius. Portius, Licinius. Cato, Crassus.*
    - Aliud, τ' ἄλλο ἴδιον.
      - Duplex proprium, διώνυμον, *cum uni alius aliud nomen tribuit. ut, Aegeon Briareus, Paris Alexander, Albula Tiberis.*
      - Tanquam proprium, ἐπώνυμον, *quia nominis proprij talis nota est, ut ex ea cognoscatur. ut, Apollo Phœbus, Romulus Quirinus.*
      - Remotum proprium, *à natione uel patria sumptum. ut, Italus, Romanus.*
  - Communibus, *quorum alia sunt*
    - Substantiua, Vt
      - Absolutum, ἀπολελυμένον, *quod per se intelligitur, nec alterius ut sit indiget. ut, Deus, iusticia, fatum.*
      - Relatiuum, πρός τι ἔχον, *quod sine alio nec esse potest, nec intelligi. ut, Socrus nurus, nobilitas uirtus, artifex opus.*
      - Quasi relatiuum, ὡς πρός τι ἔχον, *quæ uidentur respectum habere, sed simul esse non possunt. Vt, nox dies, dextera læua, uita obitus.*
      - Generale, γενικὸν, *quod multa in se comprehendit.* Vt *Animal, uirtus, scientia.*
      - Speciale, εἰδικὸν, *quod sub latiore & ampliore continetur.* Vt *Homo, ueritas, philosophia.*
      - Collectiuum, περιληπτικὸν, *quod una uoce multa significat.* Vt *Plebs, Senatus, concio.*
      - Comprehensiuum, περιεκτικὸν, *quod in se aliquid continet.* Vt *Ericetum, tilietum, senticetum.*
      - Nouum, καινὸν, *quod factum est, quia res non fuit.* Vt *Bombarda, Typographia.*
      - Facticium, πεποιημένον, ὀνοματοποιητικὸν, πεπλασμένον, *rei alicuius imitatione factum. ut, Serra, stridor, murmur.*
      - Infinitum, ἀόριστον, *cùm responsiuum seu relatiuum sine interrogatione ponitur. ut, Quot capita, tot sententiæ.*
      - Numerale, ἀριθμητικὸν, *quod recenset multitudines. ut, Duo, tres, quatuor.*
      - Temporale, χρονικὸν, *quod tempus designat. ut, Seculũ, lustrũ, annus.*
      - Locale, τοπικὸν, *quod locum denotat. ut, Vrbs, insula, horreum.*
      - Materiale, ὑλικὸν, *quod indicat ex quo fit aliquid. ut, Aurum, ebur, buxus.*
      - Formale, σχηματικὸν, *quod effigiem seu formam indicat. ut, Pileus, caligæ, manica.*
      - Effectiuum, ποιητικὸν. *ut, Faber, aurifex, pictor, architectus.*
    - Adiectiua, *ut*
      - Distributiuum, ἐπιμεριζόμενον, *quod à duobus habet cõparationẽ uel ad singulos uel ad plures. ut, Alter, uterq;, neuter.*
      - Multiplicatiuum, αὐξητικὸν. *ut, Duplex, triplex, quadruplum, quinceduplum.*
      - Interrogatiuũ, πευστικὸν, *quod percunctationem habet. ut, Quis, quãtus, quot, qualis, quotus, quotuplus, quotuplex, cuias.*
      - Responsiuum, ἀναφορικὸν, *quod ad interrogationem refertur. ut, Tantus, talis, duplus, multiplex.*
      - Ordinale, τακτικὸν, *quod collocat personas seu res, ut, Primus, secundus, tertius.*

eaq;

eaq; aut est in nominibus

Proprijs & communibus, *ut quæ uocantur*

- Corporea, σωματικά, *quæ sensu aliquo percipiuntur: ut, Virgilius, homo.*
- Incorporea, ἀσώματα, *nulli alligata corpori: ut, Febris, pro dea, apud Romanos: & febris, pro mala corporis affectione.*
- Æquiuoca, ὁμώνυμα, *cùm una uox res plures complectitur: ut, Aiax, alter Telamonius, alter Oileus. Canis est signum cœleste, nomen animantis quadrupedis, item piscis: & homo per conuicium canis dicitur: est quoquè nota in talis. Apud nos cognomen illustris familiæ Veronensium principum: nobilis item familiæ in Saxonia.*
- Vniuoca συνώνυμα, *cùm uerbis pluribus res eadem profertur: ut, Ædes, templum, delubrum. Item Scipio, Numantinus, Africanus, Asiaticus, Macedonicus.*

DE DERIVATIVIS A NOMINIBVS PROPRIIS.

Deriuatiua, *quæ à proprijs ueniunt, sunt aut*

- Patronymica, *quasi dicas paterna: nam aut à parentum nominibus sumuntur, aut imponuntur à rerum scriptoribus. Quæ uel sunt*
  - Masculina, *quæ desinunt in* DES: *ut*
    - *Æneas, Ænea, Æne*ADES.
    - *Priamus, Priami, Priam*IDES.
    - *Nector, Nectoris, Nector*IDES.
    - *Atreus, Atrei, Atr*IDES.
  - Fœminina, *quæ desinunt in*
    - AS, *Thesti*AS.
    - IS, *Ner*EIS, *Bris*EIS.
    - NE, *Ner*INE, *Adrast*INE.
    - *Huc pertinēt poëtarum opera*
      - *Il*IAS.
      - *Æn*EIS.
      - *Theb*AIS
- Gentilia, *quæ patriam gentemq; significant. Hæc masculina sunt, desinūtq; in*
  - A, *Sparti*ATA, *Sibar*ITA.
  - AS, *Arp*INAS, *Aq*VINAS.
  - IS *Parm*ENSIS, *Chartagin*IENSIS.
  - VS *purum: Ægypt*IVS, *Sard*OVS, *Chanan*AEVS, *Eub*OEVS.
  - VS *impurū, Germa*NICVS, *Gal*LICVS, *Rom*ANVS, *Sab*INVS
  - NS, *Ve*IENS, *Ou*FENS.
  - RS, *Tib*VRS.

DE DERIVATIVIS A NOMINIBUS APPELLATIVIS.

Deriuatiua, *quæ ab appellatiuis descendunt, nominantur aut*

- **Abstracta**, *quæ sunt substantiua ab adiectiuis formata, quæ qualitatem aut quantitatem significant. Hæc fœminina sunt in*
  - A, *Iusticia, Doctrina, Sanctimonia.*
  - AS, *Pietas, Humanitas.*
  - O, *Dulcedo, Magnitudo.*
- **Possessiua**, *quæ sunt adiectiua à substantiuis descendentia, quæ plerunque possessionē denotāt. Ea desinunt in*
  - IS
    - *Cœlum, cœlestis.*
    - *Castrū castrensis.*
  - VS
    - *Pater, patrius.*
    - *Mundus, mundanus.*
    - *Terra, terrenus.*
    - *Cardia, cardiacus.*
    - *Gladiator, gladiatorius.*
  - **Huc pertinent** *quæ significant*
    - *Sectam, ut*
      - *Stoicus, Epicureus.*
      - *Cinnanus, Syllanus.*
    - *Originem, ut*
      - *Thesidæ, Cecropidæ.* Pro *Atheniensibus.*
      - *Æneadæ, Romulidæ.* Pro *Romanis.*
    - *Proprietatem: ut, Pallanteus, Euandrius.*
- **Diminutiua**, *quæ fiunt modis quatuor: uel à nominibus*
  - **Proprijs**, *ut*
    - *Græcus, Græculus.*
    - *Syrus, Syriscus.*
  - **Appellatiuis** *simplicibus, quæ uariorum sunt generum*
    - **Masculina**, *ut*
      - *Liber, libellus.*
      - *Lapis, lapillus.*
      - *Nepos, nepotulus.*
      - *Vrceus, urceolus.*
      - *Equus, equuleus.*
      - *Parasitus, parasitaster.*
      - *Senex, senecio.*
    - **Fœminina**, *ut*
      - *Pagina, pagella.*
      - *Axa, axilla.*
      - *Domus, domuncula.*
    - *Hic obseruandum, quod quædam genus mutant: ut, anguis anguilla, rana ranūculus, panis pastillum, epistola epistolium.*
    - **Neutra**, *ut*
      - *Flabrum, flabellum.*
      - *Velum, uexillum.*
      - *Tugurium, tuguriolum.*
      - *Cor, corculum.*
  - **Diminutiuis alijs**, *ut*
    - *Homo, homuncio, homunculus.*
    - *Cathena, cathenula, cathella.*
    - *Puera, puella, puellula.*
    - *Flabrum, flabellum, flabellulum.*
  - **Adiectiuis**, *ut*
    - *Miser, misellus.*
    - *Tantus, tantillus.*
    - *Paruus, paruulus.*
    - *Maior, maiusculus.*

- Denominatiua, quæ duplicia sunt, aut
  - Substantiua: eaq; uel
    - Masculina in
      - O, ut
        - Cicer, CiceRO.
        - Labes, LabEO.
      - OR: ut, Ianua, ianITOR.
      - VS, ut
        - Bos, bubVLCVS.
        - Pugil, pugillATVS.
    - Fœminina in
      - A, ut
        - Cliens, clientELA.
        - Rex, regINA.
        - Caupo, caupONA.
      - O: X: Vt
        - Æs, ærugo.
        - Victor, uictrix.
    - Neutra in
      - E, ut
        - Talus, talaRE.
        - Ouis, ouiLE.
      - AL: AR: Vt
        - Ceruix, ceruicAL.
        - Lupa, lupanAR.
      - VM, ut
        - Rosa, rosARIVM.
        - Princeps, princiPIVM.
        - Testis, testimoNIVM.
        - Thus, thuribVLVM.
        - Salix, salicETVM.
  - Adiectiua, desinentia in
    - ER,
      - Salus, salubER.
      - Campus, campESTER.
    - IS, ut
      - Familia, familiARIS.
      - Pluuia, pluuiALIS.
      - Fides, fidELIS.
      - Par, parILIS.
      - Senex, senILIS.
      - Tribus, tribVLIS.
    - VS, ut
      - Toga, togATVS.
      - Cibus, cibARIVS.
      - Temetum, temulENTVS.
      - Scelus, scelESTVS.
      - Herba, herbIDVS.
      - Lex, legitIMVS.
      - Porcus, porcINVS.
      - Fagus, fagINVS.
      - Auris, aurITVS.
      - Furtum, furtIVVS.
      - Odor, odORVS.
      - Vinum, uinOSVS.
      - Abies, abiEGNVS.
      - Ficus, ficVLNVS.

DE DERIVATIVIS AB ALIIS ORATIONIS PARTIBUS.

- Deriuatiua quae ab alijs orationis par-
  - Verbalia, quae proficiscuntur à uerbis, eaq; uel
    - Substantiua, eaq; uel
      - Masculina, desinentia in
        - A: Scriba, à scribo.
        - O: Comedo, comedonis, à comedo.
        - OR: ut
          - Dolor, à doleo.
          - Amor, ab amo.
          - Torpor, à torpeo.
          - Mœror, à mœreo.
          - Genitor, à gigno.
      - Fœminina, in
        - A
          - Purum: Parsimonia, à parco.
          - Impurum:
            - Tutela, à tueor.
            - Rapina, à rapio.
            - Natura, à nascor.
        - O
          - Purum:
            - Regio, à rego.
            - Lectio, à lego.
          - Impurum:
            - Libido, à libet.
            - Vertigo, à uerto.
        - X
          - Rex, à rego.
          - Lux, à luceo.
          - Arx, ab arceo.
      - Neutra, in
        - AR: Torcular,
        - E: Cubile,
        - EN
          - Regimen,
          - Flumen,
        - A
          - Torqueo.
          - Cubo.
          - Rego.
          - Fluo.
        - VM
          - Purum: Solatium, à solor.
          - Impurum:
            - Velum,
            - Pabulum,
            - Periculum,
            - Regnum,
            - Detrimentum,
            - Documentum,
            - A
              - Velo.
              - Pasco.
              - Pereo.
              - Regno.
              - Detero.
              - Doceo.
      - Communia, in
        - A: Aduena, ab aduenio.
        - ES: Miles,
        - X: Dux,
        - A
          - Milito.
          - Duco.

tibus formãtur atq; descendũt, aut sunt

- Adiectiua *omnis generis, sub terminatione*
  - Vna: *Audax, ab audeo.*
  - Duabus
    - *Fragilis,* — *Frango.*
    - *Fertilis,* — *Fero.*
    - *Conducibilis,* — *Conduco.*
  - Tribus
    - ER: *Piger,* — *Piget.*
    - VS
      - *Commentitius,* — *Commentor.*
      - *Madidus,* — *Madeo.*
      - *Satiuus,* — *Sero.*
      - *Credulus,* — *Credo.*
      - *Iracundus, ab irascor.*
  - (*Fragilis … Credulus*) A (*Frango … Credo*)
- Participialia, *quæ propagantur à participijs, eaq; uel*
  - Formam *participiorum habent, sed sunt simpliciter denominatiua: ut*
    - *Cor, cordatus,*
    - *Litera, literatus.*
    - *Sagum, sagatus.*
  - Reuera *sunt participia, sed nomina fiunt: uel cum*
    - Significationem *amittunt: ut*
      - *Natans,* — Pro *Pisce.*
      - *Latrans,* — Pro *Cane.*
      - *Versus,* — Pro *Carmine.*
      - *Visus,* — Pro *Oculis.*
    - Suorum *uerborum casus amplius non admittunt: ut*
      - *Sapiens.*
      - *Imperitus.*
      - *Ludibundus.*
      - *Pudibundus.*
      - *Errabundus.*
- Aduerbialia, *quæ ab aduerbijs nascuntur*
  - Loci, *ut*
    - *Propinquus, à prope.*
    - *Longinquus, à longè.*
    - *Externus,* } *Ab extra.*
    - *Extraneus,* } *Ab extra.*
    - *Extrarius,* } *Ab extra.*
  - Temporis, *ut*
    - *Hornus,* } *ab Hodie.*
    - *Hodiernus,* } *ab Hodie.*
    - *Quotidianus,* — A *Quotidie.* (*Media producta.*)
    - *Matutinus,* — A *Mane,* (*Media producta.*)
    - *Vespertinus,* — A *Vespere,* (*Media producta.*)
    - *Clandestinus,* — A *Clam,*
    - *Serotinus,* — A *Sero,* (*Media correpta.*)
    - *Crastinus,* — A *Cras,* (*Media correpta.*)
  - Numeri, *ut*
    - *Binus,* — A *Bis.*
    - *Ternus,* — A *Ter.*
    - *Quaternus,* — A *Quater.*
  - Demonstrandi
    - *Eccus,* } *ab Ecce.*
    - *Ellus,* } *ab Ecce.*
  - Euentus: *ut, Fortuitus, à fortuitu.*

DE PRONOMINE.

PRONOMEN *est pars orationis, quæ loco nominis posita, idem penè significat. Eius accidētia sunt septem:*

- **Genus.** *Vnum reuera pronominis genus est: sunt enim, ut nomina adiectiua, omnia pronomina generis omnis. Alia sub terminatione*
  - Vna: *ut*, Ego, Tu, Sui.
  - Duabus: Nostras, nostrate.
  - Tribus: *Ipse, Ille, Meus,* a *um. ud. um.*
- **Numerus.** *Sunt autem duo*
  - *Singularis*, Ego.
  - *Pluralis*, Nos.
- **Persona.** *Personæ sunt tres:*
  - *Prima*, Ego.
  - *Secunda*, Tu.
  - *Tertia*, Ille.
  - ¶ *Ad omnes personas referuntur duo*, Ipse & Quisque.
- **Casus.** *Sunt totidem quot in nomine, nisi quòd Vocatiuo carent omnia, exceptis tribus:* Tu, Meus, Noster.
- **Figura,** *quæ duplex est,*
  - Simplex: *ut*, Ego.
  - Composita: *ut*, Egomet. *Componuntur autem pronomina, uel*
    - Inter se, *ut ex*
      - Duobus *integris: ut*, Egoille, egoipse.
      - Corrupto *& integro:* Isthic, illic.
    - Cum aliis *orationis partibus, uel cum*
      - Nomine: *ut*, Illiusmodi, huiusmodi, eiusmodi, *quæ manent nomina.*
      - Aduerbiis: *ut*, Eccus *pro* ecce is: ellus, *uel* eccillus, *pro* ecce ille: eccipsus, *pro* ecce ipse: *quæ Comicis tātùm sunt usitata.*
    - Cum particulis *mutis: ut*, Ego MET: hic CE, hic CINE: Tu TE, Tua PTE.
- **Species,** *quæ itidem duplex*
  - Primitiua. *Pronominum aliud est*
    - Demonstratiuum: Ego, tu, hic, iste.
    - Relatiuum: Is, ipse, qui.
    - Potestatis utriusque, Ille.
    - Interrogatiuum, Quis.
    - Reciprocum, Sui.
    - Finitum, Ego.
    - Infinitum, Qui.
  - Deriuatiua. *aliud enim est*
    - Possesiuum: Meus, tuus, suus, noster, uester.
    - Gentile: Nostras, uestras.
- **Declinatio,**
  - Primitiua *declinantur suo quodam modo: ut*, Ego, tu, sui: *reliqua (exceptis genitiuis & datiuis singularibus, qui per omnia genera in* IUS & I *flectuntur) sequuntur in Masculino & neutro genere secundam declinationem nominis, in fœminino genere primam: ut*, Ipse, ipsa, ipsum: Ille, illa, illud.
  - Deriuatiua *sequuntur declinationem nominum Adiectiuorum, uel sub terminationibus*
    - Duabus: *ut*, Nostras, nostrate.
    - Tribus: *ut*, Meus, mea, meum: Noster, nostra, nostrum.

DE VERBO, ET EIVS DIVISIONE.

VERBVM *est pars orationis, cum persona & tempore, sine casu agere aliquid aut pati significans. Verbum alterum ab altero differt, aut*

- **Natura,** *qua omne uerbum aut est*
  - **Personale,** *cui certi casus præponuntur & postponuntur: ut* Catullus: Amat uictoria curam. Varro: Stultos contemnite docti.
  - **Impersonale,** *cui aut*
    - *Certus casus non additur: ut,* Licet, oportet, itur, curritur.
    - *Si additur casus, prima tamen & secunda persona non exprimuntur.* Terent. Non pudet uanitatis?
- **Qualitate,** *qua omne uerbum aut est*
  - **Finitum,** *quod certum numerum, tempus, personam habet:*
  - **Infinitum,** *quod nihil certi definit:*
  - Vt
    - Lego.
    - Legere.
- **Affectione.** *Omne uerbum significat aut*
  - **Habitum** *animi, seu (ut Græci dicunt)* ἔγκλισιν:
  - **Motum** *corporis,* διάθεσιν:
  - Vt
    - Prouideo.
    - Ambulo.

DE ACCIDENTIBUS VERBI.

Accidentia uerbi sunt octo:

- Genera uerborum, *Quinque*,
  - Actiuum, ἐνεργητικόν.
  - Passiuum, παθητικόν.
  - Neutrum, οὐδέτερον.
  - Deponens, αὐτοενεργητικόν.
  - Commune, κοινόν.
- Numeri, *Duo*,
  - Singularis.
  - Pluralis.
- Personæ, *Tres*,
  - Prima.
  - Secunda.
  - Tertia.
- Tempora, *Quinque*,
  - Præsens, ἐνεστώς.
  - Præteritum
    - *Imperfectum*, παρατατικός.
    - *Perfectum*, παρακείμενος.
    - *Plusquamperfectũ*, ὑπερσυντελικός.
  - Futurum, μέλλων.
- Modi, *Quinque*,
  - Indicatiuus, ὁριστικός.
  - Imperatiuus, προστακτικός.
  - Optatiuus, εὐκτικός.
  - Coniunctiuus, ὑποτακτικός.
  - Infinitiuus, ἀπαρέμφατος.
- Figuræ, *Tres*,
  - Simplex.
  - Composita.
  - Decomposita.
- Species, *Duæ*,
  - Primitiua.
  - Deriuatiua.
- Coniugationes, *Quatuor*,
  - Prima.
  - Secunda.
  - Tertia.
  - Quarta.

sunt

DE GENERE.

GENERA, τὰ γένη, uel (ut alij nominãt) αἱ διαθέσεις, uel (ut plerique ex antiquis) significationes uerborum, aut sunt

- **Vsitata**, eaq; distinguũtur modis tribus:
  - **Significatione,**
    - Actiuum est, quod facere aliquid significat.
    - Passiuum, quod pati significat.
    - Neutrum, uel (ut alij) Absolutum, quod nec agere, nec pati significat.
    - Deponens, quod habet agendi potestatem.
    - Commune, quod agentis & patientis significationem habet.
  - **Terminatione,**
    - Actiuum, Passiuum, Neutrum, Deponens, Commune, desinit in
      - O literam, & assumpto R facit ex se passiuum: ut, Vulnero.
      - OR, & abiecta finali litera redit in actiuum: ut, Vulneror.
      - O, quod addita R litera Latinum non est: ut, Curro.
      - OR, & litera extrema adempta, non est Latinum: ut, Patior.
      - OR, extremamq; literam nunquam admittit: ut, Criminor.
  - **Casibus,**
    - Actiuo additur casus accusatiuus: ut, Vulnero hostem.
    - Passiui casus proprius est Ablatiuus, cum præpositione: ut, Vulneror ab hoste.
    - Neutrum, casum proprium non habet: attamen si quem admittit, eum cognatæ significationis esse oportet: ut, Bibo uinum, caleo ab igne.
    - Deponenti additur casus uerbi actiui: ut, Patior iniuriam. Exceptis paucis quæ uim neutrorum habent: ut, Nascor, orior, labor, uaticinor.
    - Commune, casum tam uerbi actiui, quàm passiui solet admittere: ut, Criminor te, criminor à te.
- **Minus usitata:** ut sunt
  - **Neutro passiua**, eaq; distinguuntur modis duobus:
    - **Significatione:** quædam significant
      - Actiuè: ut, Eo uiam, cœno holus. Hæc ex se faciunt tertiam personam passiuæ significationis, quæ uerba αὐτοενεργητικὰ, & ὁλοενεργητικὰ, & ab alijs ἐκτικὰ appellantur: ut, Itur, cœnatur.
      - Passiuè, eaq; rursus duorum generũ sunt:
        - αὐτοπαθητικὰ, uel ἰδιοπαθητικὰ, quæ passionem intrinsecus habent: ut, Caleo, ægroto, ferueo, rubeo.
        - μὴ αὐτοπαθητικὰ, quæ passionem habent extrinsecus: ut, Fio, ueneo, uapulo.
    - **Temporibus**, quæ neutra quidem sunt in præsenti, & temporibus ab eo deductis: in præterito uerò, deponentia. Hæc nominantur à Grammaticis παρεμβατικὰ, seu transgressiua: ut, Audeo, ausus sum: gaudeo, gauisus sum: mereo, meritus sum: mœreo, mœstus sum: soleo, solitus sum.
  - **Substantiua**, seu ὑπαρκτικὰ, quæ nec actionem nec passionem significant, sed de substantia rei dicuntur. Et sunt tantùm tria: SVM, FOREM, EXISTO.
  - **Mixta**, μικτὰ, quæ modò neutrorum, modò deponentium terminatione efferuntur: ut, Assentio assentior, impertio impertior, populo populor, reuerto reuertor. Hæc ex probatis sunt obseruanda auctoribus, & usus antiquitatis à communi atque uulgari studiosè discernendus est.

DE NVMERO.

¶ Numeri *sunt duo,*
- Singularis:
- Pluralis:

Vt
- *Scribo.*
- *Scribimus.*

DE PERSONA.

¶ Personæ *totidem sunt quot in Pronomine:*
- Prima, *quæ loquitur:*
- Secunda, *ad quam loquimur:*
- Tertia, *de qua loquimur:*

Vt
- *Ego scribo.*
- *Tu scribis.*
- *Ille scribit.*

DE TEMPORE.

¶ Tempora *principalia, seu* χρόνοι, *sunt tria:*
- Præsens, ἐνεστώς, *quod nunc est: ut, Abeo.*
- Præteritum
  - Imperfectum, παρατατικός, *quod actionem inchoatam, sed nondum ad exitum perductam significat: ut Virgilius, Androgeos uisu tremefactus abibat.*
  - Perfectum, παρακείμενος, *quod actionem completam habet: ut, Abiui.*
  - Plusquamperfectum, ὑπερσυντέλικος, *quod actionem iampridem perfectam atque completam significat: ut, Abieram.*
- Futurum, μέλλων, *quod uelle nos aliquid, uel debere fieri significat: ut, Abibo.*

DE MODO.

- ¶ Modi *seu inclinationes, Græci* ἐγκλίσεις *nominant, aut sunt*
  - Vsitati, *qui sunt in præceptis uulgaribus traditi: ut sunt,*
    - Indicatiuus, *qui fieri aliquid, aut non fieri simpliciter & perfecte demonstrat. Dicitur alijs nominibus*
      - Definitiuus, ὁριστικός.
      - Pronunciatiuus, ἀποφαντικός.
        - *Quia perfectam & demonstratiuam habet sententiam: ut, Fortiter ille sapit, qui miser esse potest.*
      - Perfectus, τέλειος.
    - Imperatiuus, *quo imperando utimur. Alijs nominibus*
      - Hortatiuus, παρακελευσματικός: *ut, Disce, sed à doctis. Et, Tu contrà audientior ito.*
      - Mandatiuus.
      - Permissiuus.
    - Optatiuus, *quo optamus. Cuius notæ sunt*
      - O: *ut, O si solitæ quicquam uirtutis adesset.*
      - Quàm: *ut, Quàm uellem in gelidis mōtibus esse lapis.*
      - Vtinam: *ut, Atque utinam rex ipse noto compulsus eodem Afforet Æneas.*
    - Coniunctiuus, *qui inchoatā sententiam, nisi subiungatur aliquid, non absoluit. Discernitur*
      - Nominibus: *nam appellatur &*
        - Subiunctiuus.
        - Adiectiuus.
        - Dubitatiuus.
      - Notis, *quales sunt*
        - CVM. *Ouidius: Cùm feriant unum, non unum fulmina terrent.*
        - VT. *Idem: Vtq; sit hoc uerum, certè pars altera ficta est.*
        - SI. *Idem: Ferrea sim, si non hoc ego pectus amem.*
    - Infinitiuus, *qui sine adiectione personæ aut numeri, nihil certè definit: unde & Perpetuus dicitur. ut, Parcere subiectis, & debellare superbos.*
  - Inusitati, *qui sunt à paucis traditi, et sub prioribus cōprehendūtur, ut*
    - Promissiuus, *cùm per uerbum* VOLO *aut* DEBEO, *resolutio aut interpretatio fit. Virg. Ipse ego cana legam tenera lanugine mala: idest, legere uolo. Horatius: Inter cuncta leges & percunctabere doctos. idest, legere & percunctari debes. Promissiuus igitur, indicatiuus est.*
    - Potentialis, δυνητικός, *cùm per uerbum* POSSVM *aut* DEBEO *expositio fit. Virgilius: Migrantes cernas, totaq; ex urbe ruentes: idest, cernere possit aliquis. Terent. Hem prædiceres: idest, prædicere debuisses. Hic modus partim Optatiuus, partim Coniunctiuus est.*
    - Impersonalis, *qui à uerbis actiuis & passiuis tertiæ tantùm personæ formatur: ut, Pœnitet, curritur. Qui non explicatur, nisi addatur casus rei: ut, Pœnitet incepti, curritur stadium. Hic autem sub indicatiuo comprehenditur.*
    - Hypotheticus, *quando communicamus nostras actiones cum alijs: ut Virg. Moriamur, & in media arma ruamus. Hic ad Imperatiuum refertur.*

DE FIGVRA.

Figuræ *uerborum sunt tres:*
- Simplex, *quæ à nullo alio est composita:*
- Composita, *quæ ex duabus orationis partibus facta:*
- Decomposita, *quæ ex compositis nata:*

Vt
- *Linquo.*
- *Relinquo.*
- *Derelinquo.*

DE FIGVRA COMPOSITA.

In figura composita eadem obseruan-

- Substantia, *quæ scilicet partes orationis in compositione, habeant cum uerbo societatem. Quales sunt*
  - Nomen:
  - Verbum:
  - Aduerbiū:
    - Vt *Magnifacio. Commonefacio. Maledico, satisdo.*
  - Præpositio: *ut, Adoro. Præpositiones autem immutabiles, cum quibus uerba cōponūtur, aut sunt*
    - Inseparabiles: *sic dictæ, quòd separatim nihil significent, & nulli casui seruiant: quarū numerantur decem,*
      - AM, *Amputo.*
      - AS, *Aspello.*
      - CO, *Cogo.*
      - CON, *Congrego.*
      - DI, *Diuello.*
      - DIS, *Dißipo.*
      - RE, *Redeo.*
      - SE, *Seduco.*
      - TRA, *Traijcio.*
      - O, *Omitto.*
    - Separabiles, *quæ separatæ à uerbis, & adiunctæ suis casibus, certas habent significationes: quarum sunt quindecim,*
      - A, *Amoueo.*
      - AB, *Abeo.*
      - ABS, *Abstineo.*
      - ANTE, *Antepono.*
      - CONTRA, *Contradico.*
      - DE, *Deduco.*
      - E, *Egero.*
      - EX, *Extollo.*
      - OB, *Obsto.*
      - PRAE, *Præcurro.*
      - PRAETER, *Præteruebo.*
      - PRO, *Prorogi.*
      - POST, *Posthabeo.*
      - SVBTER, *Subterfugio.*
      - SVPER, *Supersedeo.*
- Quantitas, *quot partes orationis simul coniungantur in uerbo, uel*
  - Duæ:
  - Tres:
  - Quatuor:
    - Vt *Ambulo. Deambulo. Prodeambulo.*

Ea sunt, quæ suprà exposuimus in Nomine

- **Qualitas,** *quibus modis componatur:*
  - Ex duobus integris: *ut,* Aduenio.
  - Ex duobus corruptis: *ut,* Efficio.
  - Ex integro & corrupto: *ut,* Insideo.
  - Ex corrupto et integro: *ut,* Affero.
  - ¶ In qualitate duo sunt consideranda
    - Defectus *simplicis,* ἔνδεια ἢ ἔλλειψις τοῦ ἁπλοῦ*; qui aut*
      - Vsitatus *nunquam fuit: ut,* Ambulo, bulo: præbeo, beo: experior, perior: suffragor, fragor: interpretor, pretor.
      - Vsitatus *tãtùm uetustissimis fuit: ut,* Defendo, fendo: deleo, leo: expedio, pedio: aspicio, specio: pellare, compellare.
    - Mutatio *literarũ,* μεταβολὴ τῶν στοιχείων*, quæ fit aut*
      - In uerbis, *in quib⁹ aut*
        - Mutãtur uocales, *ut*
          - A breue in I breue: *ut,* Facio, efficio.
          - A longũ in
            - E longũ: *ut,* Halo, anhelo.
            - V: *ut,* Calco, conculco.
          - E in I: *ut,* Sedeo, insideo.
        - Contrahuntur diphthõgi,
          - AE in I: lædo, illido.
          - AV in
            - O: plaudo, complodo.
            - V: claudo, concludo.
      - In præpositionibus, *in quibus cõsonans aut*
        - Mutatur *in aliã consonantẽ, ut in*
          - OB & SVB, *in quibus* B *mutatur in*
            - C, Occido, succenseo.
            - F, Offundo, suffoco.
            - G, Suggero.
            - M, Summitto.
            - P, Oppono, Supprimo.
            - R, Surripio.
            - S, Suscipio.
          - AD, *in quã* D *mutatur in*
            - C, Accurro.
            - F, Afficio.
            - G, Aggrego.
            - L, Alludo.
            - N, Annumero.
            - P, Appareo.
            - R, Arripio.
            - S, Assumo.
            - T, Attingo.
          - CIRCVM: M *in* N, Circundo.
          - IN, N *mutatur in*
            - L, Illabor.
            - M, Imbibo.
            - R, Irreligo.
          - CON, N *mutatur in*
            - G, Cognosco.
            - L, Collido.
            - M, Commendo.
            - R, Corrigo.
        - Vtrãq; *naturã obtinet. nã et mutari et nõ mutari potest*
          - IN: Indico, illustro.
          - PER: Perfero, pellego.
          - INTER: Interpono, intelligo.
        - In diphthongum *mutatur: ut,* AB *in* AV: *ut,* Aufero, aufugio.
        - Interponitur *aliquid,* Aliquid *elilditur,* — *Euphoniæ causa, ut*
          - Ambedo, amburo: redarguo, redeo.
          - Asporto, pro absporto: traduco, pro trãsduco.
- **Habitus,** *uerba in compositione aut*
  - Coniugationem eandem retinent, *quam habent simplicia: ut, stare astare, uenire conuenire.*
  - Coniugationem mutant, *idq; uel*
    - Genere manente: *ut,* Do dare, reddo reddere: cubo cubare, discumbo discumbere.
    - Genere permutato: *ut,* Sperno spernere, aspernor aspernari: facio facere, gratificor gratificari. *Genus autem quæ mutant, id faciunt uel*
      - Manente *significatione: ut in uerbis modò propositis.*
      - Eadem *non manente: ut,* Plecto plectere, amplector amplecti: sentio sentire, assentior assentiri.

DE FIGVRA DECOMPOSITA.

In uerbis decompositis:

- Interdum *coniunguntur præpositiones, quæ contrariè significant: ut,* Disconuenio.
- Interdum *repetitur præpositio eadem:ut,* Adalligo.
- Plerunque *coniunguntur diuersè,*
  - AD, *Adimpleo.*
  - DE, *Derelinquo.*
  - IN, *Indeclino.*
  - PRO, *Prodeambulo.*
  - PRAE, *Præconsumo.*
  - SVB, *Subiniicio.*
  - SVPER, *Superimpono.*
  - TRANS, *Transadigo.*
  - CON, *Compromitto.*
  - RE, *Recolligo.*
  - *In iis quæ cum nomine* SEMI *componuntur: ut, Semireduco, semireficio, semisepelio, semisopio.*

  Horum autem participia magis in usu sunt, præsertim apud Ouidium, *qui libenter decompositis utitur.*
- Aliquoties decompositis *una additur præpositio, ut quæ componuntur ex*
  - *Duobus uerbis:* Vt *Collabefacto, recalfacio.*
  - *Verbo & nomine:* Vt *Præsignifico, reædifico.*

DE SPECIE.

Species, *seu formæ, seu (ut* Diomedes*) qualitates uerborum, sunt duæ:*

- Primitiua, *quæ & absoluta & perfecta dicitur, est, quæ à nullo alio descendit: ut,* Lego.
- Deriuatiua, *quæ dicitur imperfecta, & non absoluta, est, quæ descendit ab alio: ut,* Lectito.

Deriuatiuorum, quod ad Etymologiā attinet, alia sunt

- Externæ originis, ἀλλότρια, in quibus scriptores artis, & auctorum interpretes, interdū ludunt erudite magis quàm apte. Duco, pro existimo, Marcellus deriuat à δοκῶ: Oro, pro loquor, ab ὀαρίζω, Diomedes. quorum neutrum probo, repugnantibus analogia, sententia, quantitate.
- Propriæ originis, ἰδιωτικά, quæ non petuntur è lingua aliena, sed è uernacula, eaq; rursus sunt uel
  - Sine prima positione: ut, Consuesco, pitisso, uacillo.
  - Certam positionem habent, aut ex
    - Alijs orationis partibus. Deriuatiua quædam uerba ueniunt à
      - Nomine: / Aduerbio: / Præpositione: — Ut à
        - Vulpe uulpinor, à philosopho Philosophor, ab auro Inauro, ab aqua Aquor, à pabulo Pabulor.
        - Satis Satio, à cras Crastino & procrastino, à perendie perendino & comperendino.
        - Super fit Supero, ab intra fit Intro.
    - Ipso uerbo. Deriuatiuorū quæ ab alijs uerbis trahūt ori-
      - Meditatiua, seu (ut Valla) Desideratiua, sunt, quæ affectionem aut exercitationem significant. hæc fiunt ab ultimo supino, additis ad id syllabis RIO: ut, Edo esurio, pario parturio: Syllaturio, apud Ciceronem, pro Syllæ more, id est, tyrannice meditor.
      - Inchoatiua, quæ conatū tantum, non effectū exprimunt, quæ in SCO desinūt: quorum alia deriuantur à
        - Nominibus uel
          - Substātiuis: ut, Puer puerasco, Silua Siluesco.
          - Adiectiuis: ut, Dulcis dulcesco, crassus crassesco.
        - Verbis, quæ fiunt à secunda persona indicatiui: ut, Ardeo ardesco, edormio edormisco, labo labasco. Huc pertinent impersonalia: ut, Miseret miserescit.
      - Frequentatiua, seu, ut Diomedes, iteratiua: ut recentiores, inceptiua: quæ aßi-
        - Simplicia, eorū & formatio uaria est, & non uniusmodi sunt termina-
          - In TO, quæ fiunt ab extremo supino, mutata eius terminatione in terminationem uerbi: ut, Nonatu nato, salio saltu salto, spuo sputu consputo.
            Quædam autem quæ fiunt à prima coniugatione, antepenultimam uocalem longam permutāt in breuem: ut, Clamo clamatu clamito, cœno cœnatu cœnito.
            Quædam etiam à tertia coniugatione, non à supino deriuantur, sed à secunda persona indicatiui: ut, Ago agis agito, fugio fugis fugito.
          - In SO, quæ itidem à postremo supino fiunt, & à Prisciano dicuntur Desideratiua: ut, Pello pulso, uerto uerso, prehendo prehenso, uideo uiso. Excipe, facio facesso, capio capesso.

ginem, genera sunt quinque: | duitatem uel repetitionem actionum denotant: quorum aliqua | tiones. Quædam enim desinunt

In XO: ut, Veho uexo, neo nexo & necto.

In CO, quæ à secunda indicatiui præsentis ueniunt: ut, Albeo albico, uello uellico.

Huc pertinent quædam deponentia: ut, Scitor sciscitor, commentor cōminiscor, amplector amplexor.

Dupliciter frequentatiua: Vt, Ago agito actito, cano canto cantito, curro curso cursito, dico dicto dictito.

Diminutiua, quæ quod ad significationē attinet, detrahunt aliquid de prima positione, & in LO desinūt, & deriuātur uel à

- Nominibus: ut, Scintilla scintillo, uentus uentilo.
- Verbis: ut, Canto cantillo, sorbeo sorbillo.

Imitatiua, quorum origo Græca est, & nota significatio, quæ in SSO desinunt: ut, Patrisso, id est, patrem imitor: Atticisso, hoc est, Atticorum mores exprimo.

DE CONIVGATIONE.

¶ Coniugationes, seu (ut Charisius) Ordines uerborum, ex sententia

- Veterum, sunt tres:
  - Prima: ut, Amare.
  - Secunda, eaq; uel Producta: / Correpta: Vt Docere. / Legere.
  - Tertia: ut, Audire.
- Recentiorum, quatuor: Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Hæc cognoscuntur aut ex
  - Vltima syllaba personæ secundæ indicatiui, ut sit
    - Primæ, AS.
    - Secundæ, ES.
    - Tertiæ, / Quartæ, IS Breue. / Longum.
  - Penultima infinitiui, ut sit Prima, Secunda, Tertia, Quarta, Quæ habet
    - Prima: A Longum.
    - Secunda: E Longum.
    - Tertia: E Breue.
    - Quarta: I Longum.

¶ In paßiuis cognitio fit è secunda persona indicatiui, si in penultima, eiusmodi uocales aut longas aut breues habet. Nam in infinitiuis aut fallit: ut, Orior oriri, orĕris: potior potiri, potĕris. aut cognosci nequit: ut, Vror uri, urĕris: premor premi, premĕris.

DE PRÆTERITIS AC SVPINIS PRIMAE CONIVGATIONIS.

VERBA *primæ cõiugationis, præteritum usitatè faciunt in* AVI, *supinũ in* ATVM: *ut, Tẽto tentaui tentatũ. Ex his uerba*

- Simplicia *quædam*
  - Extrito A *uocali*, VI *diuidunt: ut, Mico micui, quod caret supino. quæ autem id habent, aut desinunt in*
    - ITVM: *ut, Crepo crepui crepitum, cubo cubui cubitum, domo domui domitum. Item Sono, tono, ueto.*
    - CTVM: *ut, Frico fricui frictum, seco secui sectum.*
  - Duplicia *habent præterita, in* AVI *&* VI *diuisas syllabas: ut, Neco necaui necatum, & neco necui nectum: Plico plicaui plicatum, & plico plicui plicitum.*
  - Suam *quandam formam retinẽt: ut, Iuuo iuui iutum: poto potaui potatum & potũ: do dedi datum: sto steti statum: lauo laui lautum, lotum, & apud antiquos lauatum.*
- Composita,
  - Aut communem *regulam simplicium sequuntur: ut, Inclamo inclamaui inclamatum, dehonesto dehonestaui dehonestatum.*
  - Singulare *quiddã habent, ut sex uerborum sequẽtium cõposita. nam à*
    - CREPO,
      - *Discrepo, discrepaui discrepatum.*
      - *Increpo, increpaui & increpui increpitum.*
    - CVBO, *Accubo, Recubo, Incubo,* Et *Accumbo, accubui. Recumbo, recubui. Incumbo, incubaui & incubui.*
    - MICO,
      - *Emico, emicui, sine supino.*
      - *Dimico, dimicaui dimicatum.*
    - PLICO, *quod compositum*
      - Cum nomine, *non discedit à regula: ut, Duplico duplicaui, multiplico multiplicaui.*
      - Cum præpositione *duplex habet præteritũ: ut,*
        - *Applico, applicaui & applicui, applicatum & applicitum.*
        - *Implico, implicaui & implicui, implicatum & implicitum.*
        - *Explicato, explicaui & explicui, explicatum & explicitum.*
    - DO, *quatuor sunt composita primæ coniugationis, quæ naturam sui simplicis sequuntur:* *Circundo, Pessundo, Satisdo, Venundo,* *Dedi, datum.*
    - STO, *mutant* E *uocalem in* I: *ut,*
      - *Consto, constiti constitum.*
      - *Præsto, præstiti præstitum. Interdum tamen in supinis & participijs* A *assumunt: ut, Præstatum, in epistola Bruti. Et, Constatura fides superũ: apud Lucanum. Sed hæc nobis non sunt imitãda.*

DE PRÆTERITIS AC SVPINIS SECVNDÆ CONIVGATIONIS.

¶ Secundæ coniugationis uerba, usitatè præteritum faciunt in vi diuisas syllabas: supinũ in ITVM, penultima breui: ut, Egeo egui, Habeo habui, Iaceo iacui, Studeo studui. Quod ad supina attinet, quædam

- Excipiũtur: ut, Censeo cẽsui censum, Careo carui cassum, Doceo docui doctum, Misceo miscui mixtum uel mistum, Pateo patui passum, Torreo torrui tostum, Teneo tenui tẽtum.
- Supinis carẽt: ut uerba neutri generis pleraque. Excipe Doleo, Lateo, Liceo, Noceo, Oleo, Placeo, Taceo, Valeo. Item impersonalia, Libet, Miseret, Piget, Pœnitet, Pudet.

Excipiuntur desinentia in

- BEO,
  - Iubeo, iussi iussum.
  - Sorbeo, sorbui. Item composita, Absorbeo absorbui, exorbeo exorbui. nam Sorpsi, barbarum esse ait Probus: & absorpsi, demum post Ciceronis seculum dictum est.
- CEO,
  - Luceo, luxi, sine Supino.
  - Polluceo, polluxi polluctum.
  - Mulceo, mulsi mulsum.
- DEO,
  - Quæ uocalem habent breuem ante D, in DI faciunt præteritum: ut, Sedeo sedi sessum, Video uidi uisum.
  - Quæ uocalem aut syllabam longam, in SI præteritum faciũt: ut, Ardeo arsi arsum, suadeo suasi suasum, rideo risi risum. Excipiũtur duo: Prãdeo prãdi prãsum, strideo stridi, sine supino.
  - In DI præteritum faciunt, prima syllaba duplicata, hæc quatuor: Mordeo momordi morsum, Spondeo spopondi sponsum, Tondeo totondi tonsum, Pendeo pependi, absq; supino.
  - Præterita passiuorum habent tria: Audeo ausus sum, Gaudeo gauisus sum: et apud recentiores, Prandeo pransus sum.
- GEO,
  - Quæ uocalem aut diphthongũ ante G habent, in XI faciunt præteritum: ut, Augeo auxi auctum, Frigeo frixi frictum, Lugeo luxi luctum.
  - Quæ cõsonantem, in SI: ut, Fulgeo fulsi fulsum, Tergeo tersi tersum, Mulgeo mulsi mulctum, Indulgeo indulsi indultum.
  - Supinis autem carent, Algeo alsi, Turgeo tursi, Vrgeo ursi.
- LEO,
  - Fleo, fleui fletum. Et eius compositum, Defleo.
  - A PLEO & LEO antiquis uerbis composita, eôdem pertinent: ut, Compleo compleui completum. Sic Expleo, impleo, oppleo, repleo, suppleo. Deleo deleui deletum: & Releo releui, apud Probum, sine supino.
  - Ab OLEO composita præteritis et supinis uariãt:
    - Regulam sequitur communem, Suboleo subolui.
    - Regulam non sequũtur
      - Aboleo, aboleui abolitum.
      - Exoleo, exoleui exoletum.
      - Inoleo, inoleui inolitum.
    - Vtranque formam habent:
      - Adoleo, adoleui & adolui adultum.
      - Oboleo, oboleui & obolui obolitum.
  - Soleo, solitus sum, extra regulam est.
- NEO,
  - Neo, neui netum.
  - Maneo, mansi mansum.
- QVEO,
  - Torqueo, torsi torsum, uel (ut recentiores) tortum.
  - Liqueo, licui: & compositum, Deliqueo delicui.
- REO,
  - Hæro, hæsi hæsum.
  - Mereo, merui meritum.
  - Mœreo, mœstus sum, extra regulam est.

- VEO, *Hæc præteritum faciunt aut in*
  - VI *unam syllabam: ut*
    - *Caueo, caui cautum.*
    - *Faueo, faui fautum.*
    - *Moueo, moui motum.*
    - *Item, foueo & uoueo.*
    - *Paueo, paui, sine supino.*
  - VI *diuisas syllabas: ut, Langueo langui, sine supino.*
  - *Excipiuntur*
    - *Ferueo, ferui & ferbui: cum compositis, conferueo, deferueo.*
    - *Conniueo, cõnixi, extra regulam est.*
- EO
  - *Eo, iui itum.*
  - *Quieo, quieui quietum.*
  - *Vieo, uieui uietum: quod supinum* ἀναλογικῶς *mediam habet productam, apud Lucretium. Apud Plautum, Terentium, Horatium, eandem correptam.*

¶ *Præterita paßiua à supinis fiunt: ut, Amatus, iussus, nexus. Quæ igitur supinis carent in uoce actiua, in paßiua itidem præteritis destituuntur. Eadem ratio deponentium quæ paßiuorum est: ut, Polliceor pollicitus. Excipe, Reor ratus, fateor fassus, misereor misertus uel miseritus, mereor meritus.*

DE PRÆTERITIS AC SVPINIS TERTIAE CONIVGATIONIS.

¶ Tertiæ *coniugationis uerba, quemad-*

- IMPVRA, *in quibus ultimam uocalem præcedit consonãs. Ex qui-*
  - BO *triplicem habẽt terminationem: quædã habẽt*
    - PSI & PTVM: / BI & ITVM: *Vt*
      - *Scribo scripsi scriptum, Nubo nupsi nuptum.*
      - *Bibo bibi, Glubo, Lambo, Scabo: quorum tamen supina usitata non sunt.*
    - VI *diuisas syllabas: ut composita à Cubo, Accumbo accubui accubitum, Incumbo incubui incubitum.*
  - CO *quadruplicẽ habent terminationẽ: quædam faciunt*
    - CI & CTVM: *ut, Ico ici ictum, Vinco uici uictum. Excipe, Disco didici, Posco poposci, absque supinis.*
    - XI & CTVM: *Dico dixi dictum, Duco duxi ductum.*
    - VI *unam syllabam, et* TVM, *præcedentibus uocalibus lõgis:*
      - *Pasco, paui pastum.*
      - *Cresco, creui cretum: item, Quiesco, Suesco, Consuesco.*
      - *Scisco, sciui scitum: item, Rescisco.*
      - *Nosco, noui notum.*
      - *Ignosco, ignoui ignotum: nam Agnosco & cognosco, uocalem longam mutant in breuem: ut, Agnoui agnitum, cognoui cognitum.*
    - VI *syllabas diuisas, &* ITVM: *ut, Compesco compescui compescitum.*
    - *Duplex præteritũ & supinũ habet Parco, peperci & parsi, parsitũ et parsum.*
    - *Præteritis & supinis carent, Hisco, Glisco, Fatisco, Labasco, & similia.*
  - DO *duplicem habẽt rationem: quædam enim in præterito*
    - D *retinent, faciũtq; DI & SVM. Ex ijs quædã retimẽt, aut*
      - Vocalem *breuem: ut, Edo edi esum, Comedo comedi comesum.*
      - Consonãtem, *eumq; aut*
        - Retinent: *ut, Mando mandi mansum, Scando, Prehendo, Accendo. Excipe, Pando pandi passum.*
        - Abijciũt: *ut, Findo fidi, scindo scidi, prima correpta: fissum, scissum: fundo fudi, prima producta, fusum.*
      - Syllabã *priorem, aut*
        - Geminant: *ut, Pendo pependi pensum, Tendo tetẽdi tensum & tentum, Pedo pepedi, sine supino. Ex his quædam mutant quantitatem: ut, Cado cecidi casum, cædo cecidi cæsum, tundo tutudi tusum.*
        - Non geminant, *ut composita: ut, Appendo appendi, contendo contendi, contundo contudi.*
      - Vltimam *geminant, ut à Do composita: ut, Addo addidi additum, Condo condidi conditum, Credo credidi creditum.*
      - Diphthongum *mutant in supino, ut à cædo composita: ut, Concidi concisum.*

modū primæ & secūdæ, nullum usitatum et cōmune indiciū habent: ideo ex terminationibus præterita & supina obseruanda sunt. Distinguuntur autem secundum uerba | bus, quæ desinūt in

- D non retinent, faciuntq; SI & SVM, ut quæ ante id habent aut
  - Vocalem longam: ut, Cedo cessi cessum, Ludo lusi lusum, Rado rasi rasum. Excipiuntur, Cudo cudi cusum: Strido stridi, Rudo rudi, sine supinis. Fido fisus sum, extra regulam est.
    - Huc pertinent composita quædam, uel à simplicibus
      - Vsitatis: ut, Concedo concessi concessum.
      - Non usitatis: ut, Diuido diuisi diuisum.
  - Diphthongum: ut, Lædo læsi læsum.
- GO, quadruplicem habent terminationem: quædam
  - XI & CTVM: ut, Affligo afflixi afflictum, Rego rexi rectum, Sugo suxi suctum. Quæ N literam ante GO habent, aut eandem in supinis
    - Retinent: ut, Ango anxi anctum, Clango, Plango. Cingo cinxi cinctum: Iungo iunxi iunctum: Lingo, Mungo, Tingo, Vngo. Item hæc composita, Distinguo distinxi distinctum, Extinguo, Restinguo: Dispungo dispunxi dispunctum, Expungo.
    - Abijciunt: ut, Pingo pinxi pictum, fingo, mingo, ringo, stringo. Huc pertinent tria tantum composita à Lego: ut, Diligo dilexi dilectum, Intelligo, Negligo.
  - XI & XVM: Vt Figo fixi fixum, Frigo frixi frixum.
  - GI & CTVM: Vt Ago egi actum, Frango fregi fractum, Lego legi lectum.
  - SI & SVM, cùm GO, R litera præcedit: ut, Mergo mersi mersum, Spargo sparsi sparsum, Tergo tersi tersum. Sic Vergo. Tria sunt quæ geminant præteritum: ut, Tango tetigi tactum, Pango pepigi & panxi pactum, Pungo pupugi & punxi punctum.
- HO: ut, Traho traxi tractum, Veho uexi uectum.
- IO: Meio minxi mictum, à mingo.
- LO duplicem habent terminationem:
  - Quibus est L simplex, in VI diuisas syllabas & TVM faciunt: ut, Colo colui cultum, Consulo consului consultum. Item, Occulo: Molo molui molitum: Alo alui altum & alitum: Volo uolui, sine supino.
  - Quibus est LL geminatum, LI & SVM: ut
    - Fallo fefelli falsum, Pello pepuli pulsum.
    - Percello perculi perculsum. nam perculsi, barbarum est.
    - Psallo psalli, Refello refelli: Sine supinis.
    - Vello uelli uulsum. nam Vulsi, post Ciceronis & Ouidij tempora natum est.
- MO duplicem habent terminationem: quædam
  - VI diuisas syllabas, & ITVM: ut
    - Fremo fremui fremitum: item Gemo, Vomo.
    - Tremo tremui, sine supino.
    - Excipe, Emo emi emptum, cum compositis.
  - PSI & PTVM: ut, Como compsi comptum, Demo dempsi demptum, Promo prompsi promptum, Sumo sumpsi sumptum. Excipe, Premo pressi pressum, cum compositis.

- NO, duplicem habent terminationem, quædam
  - VI contractam syllabam, & TVM: ut, Cerno creui cretum, Lino leui litum, Sino siui sitũ, Sperno spreui spretum, Sterno straui stratũ.
  - VI diremptas syllabas: ut
    - Gigno genui genitum.
    - Pono posui positum.
    - Excipe à Temno composita: ut, Contemno contempsi contemptum.
    - Item, Cano cecini cantum: cuius tamen composita uariant: ut, Accino accinui accentum.
- PO, unam habent terminationem, PSI & PTVM: ut, Carpo carpsi carptum, Serpo serpsi serptum, Sculpo sculpsi sculptum. Sic Clepo, Scalpo, Sarpo, Repo. Excipe hæc duo: Strepo strepui strepitum, Rumpo rupi ruptum.
- QVO: Coquo coxi coctum, Linquo liqui lictum.
- RO triplicẽ habent terminationem, quædam
  - VI unicam syllabam, & TVM: ut
    - Quæro quæsiui quæsitum, Tero triui tritum.
    - Sero seui satum. Huius composita
      - Si significationem simplicis retinent, eiusdem sequuntur præteritum: ut, Consero conseui consitum, Insero inseui insitum.
      - Sin mutant significationem, VI quoquè diuidunt: ut, Consero conserui consertum, Insero inserui insertum, Assero, Desero, Dissero, Exero, Resero.
  - SI & TVM: ut, Gero gessi gestum, Vro ussi ustum.
  - RI & SVM: ut, Curro cucurri cursum, Verro uerri uersum. Excipe, Fero tuli latum: & Furo, quod præterito caret, & supino.
- SO, triplicem habent terminationem, quædam
  - IVI & ITVM penultima longa: ut, Accerso accersiui accersitum, Lacesso lacessiui lacessitum.
  - SI & SVM: ut, Facesso facessi facessitum, Viso uisi uisum. item Capesso, Incesso excipiuntur.
  - VI diuisas syllabas et TVM: ut, Depso depsui depsitũ, Pinso pinsui pistũ.
- TO, duplicem habent terminationem:
  - XI & XVM: ut, Flecto flexi flexum, Plecto plexi plexum.
  - VI diuisas syllabas, & SVM: ut, Meto messui messum, Sterto stertui, sine supino.
  - Nonnulla utranque præteriti habent terminationem: ut, Necto nexi & nexui nexum, Pecto pexi & pexui, pexum & pectitum.
  - ¶Excipiuntur, Mitto misi missum, Peto petiui petitum, penultima longa. Verto uerti uersum. Item composita à Sisto: ut, Assisto astiti, Resisto restiti.
- VO, unam habent terminationem, VI unam syllabam, & TVM: ut, Soluo solui solutum, Volo uolui uolutum. Excipe, Viuo uixi uictum.
- XO: Texo texui textum.

PVRA, in quibus postremam uocalem antecedit alia uocalis, ut sunt desinentia in

- CIO, duplicẽ habent terminationem:
  - CI & CTVM: ut, Facio feci factum, Iacio ieci iactum. Item composita ipsorum: ut, Afficio affeci affectum, Adijcio adieci adiectum.
  - XI & CTVM, ut composita à uerbis inusitatis LACIO & SPECIO: ut, Allicio allexi allectum, Aspicio aspexi aspectum.
- DIO: ut, Fodio fodi fossum: item composita, Effodio, infodio, &c.
- GIO: ut, Fugio fugi fugitum, cum compositis.
- PIO. hæc singula inter se uariant: ut, Capio cepi captum, Cupio cupiui cupitum, Rapio rapui raptum: Sapio sapiui uel sapui, sine supino. & composita, Resipio resipui, & cætera.
- RIO: ut, Pario peperi partum & paritum.
- TIO: Quatio quassi quassum. Composita mutant, Concutio concussi concussum, & cætera.
- VO diuisas syllabas, duplicem habent terminationem:
  - VI diuisas syllabas, & VTVM: ut, Acuo acui acutum, Arguo argui argutum, Exuo exui exutum: item, Imbuo, Induo, Statuo, Sternuo, Tribuo. Spuo spui sputum, Nuo nui nutum, Suo sui sutum, penultima longa: Luo lui, sine supino. Duplex præteritum habet, Pluo plui uel pluui plutum: duplex supinum, Ruo rui rutum uel ruitum.
  - XI & CTVM: ut, Struo struxi structum, Fluo fluxi fluctum, uel (quod usitatius nunc est) fluxum.

DE PRÆTERITIS ET SVPINIS PASSIVORVM ET DEPONENTIVM.

Verborum paßiuorum & deponentium præterita sumuntur à participijs, participia uerò formantur à supinis: ut, Legor lectu lectus sum, Lædor læsu læsus sum, Nector nexu nexus sum. Deponentia autem nonnulla, quia discedunt à regula communi, eadem etiam secundum terminationes sunt annotanda, & obseruanda. Desinunt autem uel in

- OR purum: ut
  - Patior, paſſus / Gradior, greſſus / Orior, ortus — Sum.
  - Morior, mortuus / Fruor, fruitus & fructus — Sum, cum cōpositis.
  - Præterea composita à Tuor (quod nunc Tueor, in secunda dicimus coniugatione) ut, Obtuor obtutus sum. Virgilius in duodecimo: Turnus & obtutu tacito stetit.
- OR impurum: ut quæ desinunt in
  - BOR: Labor lapsus sum, cum compositis.
  - COR: ut
    - Adipiscor, adeptus / Comminiscor, commētus / Defetiscor, defeſſus / Expergiscor, experrectus / Irascor, iratus / Nanciscor, nactus / Nascor, natus / Obliuiscor, oblitus / Paciscor, pactus / Proficiscor, profectus / Vlciscor, ultus — Sum.
    - Reminiscor & Vescor, præteritis carent.
  - GOR: Fungor, functus sum.
  - QVOR: ut
    - Loquor, locutus sum. / Sequor, secutus sum. — Cum compositis.
  - TOR: ut
    - Amplector, amplexus sum.
    - Nitor, nixus uel nisus sum.
    - Reuertor, reuersus sum.
    - Vtor, usus sum.
    - Diuertor, caret præterito.

DE PRÆTERITIS ET SVPINIS QVARTÆ CONIVGATIONIS.

¶ Verba coniugationis quartæ usitata consuetudine IVI & ITVM penultima longa faciunt: ut, Ambio ambiui ambitum, Condio cõdiui conditũ, Esurio esuriui esuritum. Supina faciunt penultima breui hæc duo, quæ terminatione quidem secundæ coniugationis sunt, coniugatione uerò quartæ: Eo iui itum, Queo quiui quitum. A communi regula discrepant non multa, ut in

- CIO duplicem habent terminationem. Quædam
  - SI & TVM, in quibus antecedit litera
    - L: Fulcio fulsi fultum.
    - R: Farcio farsi fartum, Sarsio sarsi sartum. Excipe, Raucio rausi rasum.
  - XI & CTVM, in quib. N præcedit: ut
    - Vincio uinxi uinctum.
    - Sancio
      - Sanxi sanctum.
      - Sanciui sancitum.
- LIO
  - Sepelio sepeliui sepultum.
  - Duplex præteritum habet Salio, salij & salui saltum.
  - Exilio exilui exultum.
- NIO: Venio ueni uentum.
- PIO: Sæpio sæpsi sæptum.
- RIO
  - Haurio hausi haustum.
  - Aperio aperui apertum.
  - Ferio præterito caret, & supino.
- TIO: Sentio sensi sensum.

¶ Pasiiua & deponentia, ut in superioribus coniugationibus, præterita mutuantur à participijs: ut, Audior auditus sum, Molior molitus sum. Excipiuntur, Experior expertus sum, Metior mensus sum, Ordior orsus sum, Orior ortus sum, cum compositis.

DE ANOMALIS.


ANOMALA propriè sũt inæqualia, quæ cõmunem consuetudinem ac regulam usitatam non consequuntur, quæq; ideo Priscianus præter re-

- Genere anomala sunt, quæ duplici genere efferuntur, quod communiter non fit: ut, Assentio assentior, Comperio comperior, Fabrico fabricor, Impertio impertior, Iurgo iurgor, Lacrimo lacrimor, Populo populor, Reuerto reuertor. Hæc autem simpliciter anomala non sunt, sed comparatione fiunt.
- Modò anomala rectè dicuntur ἐλλειπτικά, id est defectiua, quia non in omnibus modis coniugantur, quæ Grammatici ordine recẽsere solent:
  - Aio ais ait: Aiebam, per integrum tempus imperfectum: Aiat aiamus aiant.
  - Aue auete, aueto auetote.
  - Salue saluete saluebis.
  - Vale ualete ualebis.
  - Abstit, pro absistit.
  - Cedo, pro da uel dic.
  - Confit, confieri.
  - Desit desiet desieri.
  - Faxo faxis faxit, faxim faxint.
  - Forem fores foret, forent, fore.
  - Fuat, pro sit: & defuat, pro desit.
  - Infit, pro incipit.
  - Inquio seu inquam, inquis inquit, inquiunt: Inquisti, Inquies inquiet inquient.
  - Inque inquito: Inquiat.
  - Quæso quæsumus.

ter regulã, Charisius confusa, Diomedes corrupta appellauit. Ea uersantur circa quatuor uerbi accidentia: Genera, Modos, Tempora, Coniugationem.

- æ emu poribus destituũtur, quædã sunt
  - ἀνώμαλα, quæ mutant aut
    - Præteritum: *quæ neutra cùm sint, deponētium gaudent præteritis: ut,*
      - Audeo, ausus
      - Fido, fisus
      - Fio, factus
      - Gaudeo, gauisus
      - Mœreo, mœstus
      - Prandeo, pransus
      - Soleo, solitus
      - } Sum.
    - Futurum: Eo ibo, Queo quibo, Nequeo nequibo, Scio scibo, Væneo uænibo, Opperior opperibor.
  - ἐλλειπτικά, quæ Seruius corrupta appellat: in ijs deficit aliquid aut
    - Simpliciter, eaq; duarũ sunt partium:
      - Quædam *nullum habent præteritum, ut quæ finiũtur terminatione inchoatiuorum: ut,* Fatisco, Labasco. *Item quorum in superioribus regulis mentio facta est: qualia sunt,* Ferio, Furo, Meio, Tollo.
      - Quædam *solum habent præteritum cum temporibus quæ inde formantur: ut,* Odi, Cœpi, Memini: *quamuis à* Cœpi *cœpiat, apud Plautum: cœperet, apud Terentium.* À Memini *uerò, usitatè ueniunt* Memento mementote.
    - Figuratè. *In præsenti imperatiui quædam* ἀποκόπτονται: *ut,* Dic, Duc, Fac: *quibus tamen litera terminalis additur in carmine. Nam* Fer, *nihil.*
  - διαφορικά, quæ fiunt cõparatione, et significatione differunt, ipsa quoq; generũ duorũ.
    - In prima *persona præsentis conueniunt, sed discernuntur coniugatione & significatione: ut,* Colo colare & colere, Dico dicare & dicere, Fundo fundare & fundere, Lego legare & legere, Sero serare & serere, Volo uolare & uelle.
    - *Conueniunt præteritis, sed non significatione: ut,* Acuo & aceo acui, Frigeo & frigo frixi, Lugeo & luceo luxi, Fulgeo & fulcio fulsi, Mulgeo & mulceo mulsi, Pendeo & pendo pependi, Paueo & pasco paui, Polleo & polluo pollui, Cerno & cresco creui, Consisto & consto constiti.
- Coniugatione anomala sunt triplicia: alia
  - Reuera, ἁπλῶς ἀνώμαλα, *quæ suo quodam modo coniugantur, eaq; à quibusdam* ἀμφισβητήσιμα & ἑτερόκλιτα, *id est, ut Charisius uertit, ambiguè declinata nominantur: qualia sunt,* Sum, Volo, Fero, Edo, *cum compositis: item,* Malo & Nolo: *quorum formæ ex libello Donati, aut institutionibus Diomedis peti possunt.*
  - Per comparationem, κατὰ σύγκρισιν, *quæ diuersis flectuntur coniugationibus, eadem significatione: ut,* Densare densēre, *apud Virgilium:* Lauare lăuere, *apud Horatium:* Parare părere, *apud Terentium:* Tergēre tergĕre, *apud Lucretiũ: & apud Poëtas alios* feruĕre, stridĕre, fulgĕre. Ciere cire, Linere linire, Accersere accersire. *Item* Potior potiris, *apud antiquißimos. nam recentiores* potĕris, *in tertia dixerunt. Ouid.* Mars uidet hanc, uisamq; cupit, potiturq; cupita. *Idem:* Tuq; tuis armis, nos te poteremur Achille.
  - Infinitè, κατ' ἀόριστον, *quæ uocantur uulgò* ἀπρόσωπα, *seu impersonalia: à Probo infinitæ declinationis. in tertia enim tantummodo persona flectũtur. Significationem autem habent, aut*
    - Actiuam: *Propert.* Non iuuat ex humili lecta corona iugo. *Ouid.* Expedit esse deos, & ut expedit, esse putemus.
    - Paßiuam: *ut,* Pugnatur comminus armis. *Et,* Viuitur exiguo melius. *Efferuntur eadem aliter ab antiquis: ut,* Placitum est, *pro* placet: Visum est, *pro* uidetur: Miseritum est, *pro* miseret.

ΣΧΗΜΑΤΙΣΜΟΣ CONIVGATIONVM VOCIS ACTIVÆ ET NEVTRIVS.



ΣΧΗΜΑΤΙΣΜΟΣ CONIVGATIONVM VOCIS PASSIVÆ DEPONENTIS ET COMMVNIS.

INDICATIVVS

	Singularis.			Pluralis.			
Prima, Secũda, Tertia, Quarta.	or.	ris vel re.	tur	mur,	mini	tur.	Præsens
	bar.	baris vel bare.	batur	bamur	bamini	bantur.	Imperfectum.
	TVS SVS XVS sum vel fui.	es vel fuisti	est vel fuit	TI SI XI sumus vel fuimus	estis vel fuistis	sunt, fuerunt vel fuêre.	Perfectũ
	TVS SVS XVS eram vel fueram	eras vel fueras	erat vel fuerat	TI SI XI eramus vel fueramus	eratis vel fueratis	erant vel fuerant.	Plusquã perfectũ
1, 2. 3, 4.	bor ar	beris vel bere. aris vel are	bitur etur	bimur emur	bimini emini	buntur entur.	Futurũ

COIVNCTIVVS

	Singularis.			Pluralis.			
Præsens	er ar	eris vel ere aris vel are	etur. atur.	emur amur	emini amini	entur antur.	Prima, Secũda, Tertia, Quarta.
Imperfectum.	rer	reris vel rere.	retur	remur	remini	rentur.	
Perfectũ	TVS SVS XVS sim vel fuerim	sis vel fueris	sit vel fuerit:	TI SI XI simus vel fuerimus	sitis vel fueritis,	sint vel fuerint.	
Plusquã perfectũ	TVS SVS XVS essem vel fuissem	esses vel fuisses,	esset vel fuisset:	TI SI XI essemus vel fuissemus	essetis vel fuissetis	essent vel fuissent.	
Futurũ	TVS SVS XVS ero vel fuero	eris vel fueris	erit vel fuerit	TI SI XI erimus vel fuerimus.	eritis vel fueritis	erunt vel fuerint.	

OPTATIVVS

	rer	reris vel rere,	retur	remur	remini	rentur.	Præsens & imperfectum
	TVS SVS XVS essem vel fuissem	esses vel fuisses,	esset vel fuisset	TI SI XI essemus vel fuissemus	essetis vel fuissetis	essent vel fuissent	Perfectũ & plusquam perfectũ.
1. 2, 3, 4.	er, ar,	eris vel ere aris vel are	etur atur	emur, amur,	emini amini	entur antur.	Futurũ

INFINITIVVS

Præsens & imperfectum	ari. eri. i. iri.
Perfectũ & plusquam perfectũ.	tum esse vel fuisse.
Futurũ	tum iri

IMPERATIVVS

are êre ere îre	etur eatur atur iatur	emur eamur amur iamur	emini eamini imini iamini	entur eantur antur iantur.	Præsens & imperfectum
ator etor ĭtor îtor	ator etor ĭtor ïtor	emur eamur amur iamur	aminor eminor iminor iminor	antor entor untor iuntor	Futurum

PARTICIPIA

Passiua.	Deponẽtia.	Communia
tus dus	ns tus rus	ns tus rus dus

DE PARTICIPIO.

PARTICIPIVM est pars orationis, cum tempore & casu, sine persona absolutè prolatū. Conformationem habet cum nomine & uerbo: inde enim dictū, quòd partem capiat à nomine, partem à uerbo, partem ab utroque. Eius accidentia sunt sex. Sumit enim

- À nomine
  - Genus. Participia generis omnis sunt, quædam
    - Immobilia, sub una uoce. — ut Legens.
    - Mobilia, sub tribus uocibus. — ut Lectus, a, um.
  - Casum. Casus sunt ijdem qui in nomine: & participia immobilia sequuntur declinationem tertiam: mobilia, secundam & primam.
- À uerbo
  - Tempus. Tempora participiorum sunt tria, distincta terminationibus: & ut mox dicemus, etiā significatione,
    - Præsens. / Præteritum. / Futurū. — Cuius terminationes
      - ANS: Amans. / ENS: Docens, Audiens.
      - TVS: Amatus. / SVS: Visus. / XVS: Nixus.
      - RVS: Lecturus. / DVS: Legendus.
  - Significationem, seu qualitatem, quæ nihil aliud est quàm genus in uerbo. Participia enim suorum uerborum διάθεσιν sequi solent. Veniunt autem
    - Ab actiuo & neutro, duo participia
      - Præsens: ut, Amans, carens.
      - Futurum: Amaturus, cariturus.
    - À passiuo totidem
      - Præteritum: Amatus.
      - Futurum: Amandus.
    - À deponenti
      - More usitato, tria,
        - Præsens: Oriens.
        - Præteritum: Ortus.
        - Futurum: Oriturus, uel orturus.
      - Non usitatè, quartum etiam additur, Oriundus: sed id mutat significationem, ut mox dicetur.
    - À communi, perpetuò quatuor:
      - Præsens: Criminans.
      - Præteritum: Criminatus.
      - Duplex futurum,
        - Criminaturus.
        - Criminandus.
- Ab utroque
  - Numerum: quorum duo sunt, ut in reliquis partibus declinabilibus,
    - Singularis.
    - Pluralis.
  - Figuram, quarum duæ sunt
    - Simplex: Amans.
    - Decomposita: Deamans.

DE PARTICIPIIS DEGENERANTIBVS.

Participia quinque modis degenerant in nomina, cognoscunturq́; aut

- Forma, εἴδει, quando nominum more comparationem recipiunt: ut, Doctus doctior, Eloquens eloquentior.
- Compositione, συνθέσει, quando cum præpositionibus usitatis non iunguntur: ut, Infectus, pro non facto: perdoctus, pro ualde docto, nomina sunt. nam Inficior infectus, perdoceor perdoctus, manent participia.
- Declinatione, κλίσει,
  - Participia secundæ declinationis sunt: ut, Visus uisi.
  - Nomina
    - Interdum secundæ: ut, Lectus lecti, pro thalamo, quod à participio sola significatione distinguendum est.
    - Plerunque quartæ: ut, Visus uisus uisui.
- Constructione, συντάξει: ut, Appetens honores, participij casus est: Appetens honorum, casus nominis. Item, Victus ab hoste, participij: Victus animi, nominis casus est.
- Significatione, σημασίᾳ. Ratione significationis, quædam
  - Participia perpetuò nomina manent: ut cùm dico, Fructus oliuæ, Occasus solis.
  - Loco mutant significationem, & temporis differentiā habent. Terent. Si id est peccatum, peccatum est imprudentia Poëtæ. Idem: Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius. In prioribus membris nomina sunt, in sequentibus participia.

DE ANOMALIS.

Participiorum ἀνωμαλία partim ex

- Quod ad originem, seu qualitatē ab-
  - Origine planè carent: ut, Cassus, Lassus, Foratus.
  - Ortu destituuntur, & sunt: ut quæ carent uerbi sui positione, nominata ἀδέσποτα, quasi sine auctore. Ea aut
    - Propriam originem non habent, ut quæ terminatione paßiuorum descendunt uel
      - A neutris, qualia sunt quædam temporis
        - Præteriti: ut, Erratus, Potus, Cœnatus, Pransus, Perosus, Decursus. Horat. ad Augustum: Si quis bella tibi terra pugnata mariq; Dicat. Ouid. Trist. Et singultatis oscula mista sonis: id est, per singultum dolore expreßis. Virg. 6. Æneid. Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho Victor aget currus.
        - Futuri. Ouid. in Hero: Quæ uenit indignè pœna, dolenda uenit. Idem: Virq; mihi dempto fine carendus abest.
      - A deponentibus, futuri scilicet temporis: sed quæ paßiuè significant: ut, Loquendus, hortandus, quæ paßim sunt in usu. Ouid. Multa rogant utenda dari, data reddere nolunt.

origine co-

- *origine cognoscitur, partim ex accidentibus:*
  - *solutam attinet, omnia participia aut*
    - Ortu non destituuntur, *& non sunt: quorum etiamsi uerba extant, ab ijs tamen nulla formantur Participia, temporis præsertim futuri: ut à uerbis desinentibus in*
      - O purum
        - EO: Horreo, Caleo, Egeo.
        - IO: *Sitio, Esurio, Parturio.*
        - VO: *Fluo, Imbuo, Metuo, Minuo.*
      - O impurum
        - CO: *Vaco, Disco, Posco.*
        - DO: *Pando, Pedo.*
        - GO: *Vergo, Ambigo.*
        - LO: *Volo, Nolo.*
        - MO: *Tremo.*
        - SCO: *Labasco, Feruesco, Hisco.*
    - Videntur esse, *& non sunt. Nomina enim quædam terminationem imitātur Participiorum: sed non significationē, fine tātum paria, sed ortu dißimilia. Quorū aliqua terminationem habent*
      - Præsentis: / Præteriti: Vt
        - *Frequens, recens, uehemens, insolens.*
        - *Barbatus, animatus, scitus, decrepitus, argutus, disertus.*
      - Futuri: *ut, Ludibundus, Pudibundus. Et in genere fœminino, Sculptura, scriptura, pictura.*
  - Quod attinet ad accidentia, *quædam Participiorum sunt*
    - ἑτερόκλιτα, *quæ habent declinationem non regularem, & est unum tantùm: ut, Iens euntis.*
    - πο[illegible]τὰ, *cum ab uno uerbo plura eiusdem temporis inueniuntur Participia: ut, Lotus lauatus, loturus lauaturus.*
    - ἐλλειπτικὰ, *quæ rursus trium sunt generū. Aliqua enim*
      - Temporibus *certis carent:*
        - Præsenti: / Præterito: / Futuro: Vt
          - *Fretus, Lassus, Cassus.*
          - *Stans, Sedens, Ambulans.*
          - *Pollens, Potens, Furens.*
      - Tempora *usitata non habent: ut, Pœnitet pœnitendus, Licet licitus, Libet libens.*
      - In compositis *tantùm habent: ut, à Linquor lictus, non dicitur: neque à Tædet, tæsus: sed à Relinquor, relictus inuenitur: & Pertæsus legitur, ut & Exosus, & Perosus.*

DE ADVERBIO.

Adverbium est pars orationis, quæ uerbo adiecta, significationem eius explanat atque implet. Nam aduerbij sine uerbo plena non est significatio: & quamuis uerbo expreßè non additur, sensu tamen necesse est intelligi. Eius accidentia sunt
- Species.
- Figura.
- Significatio.
- Comparatio.

DE SPECIE.

Species duæ sunt:
- Primitiua, quæ complectitur aduerbia suæ positionis, quæ uidelicet aliunde nata non sunt: ut, Mox, cras, heri, sæpe.
- Deriuatiua, quæ complectitur aduerbia ex alijs facta, eaq; uel
  - Ab una parte orationis formãtur: ut à
    - Nominibus, uel
      - Proprijs: ut, Homerus Homericè, Pœnus Punicè.
      - Communibus, ut à
        - Substantiuis, uel (ut Diomedes & Donatus) à uocabulo: ut, Fors fortè, modus modò, nox noctu, pars partim.
        - Adiectiuis, uel (ut Diomedes) ab appellatione: ut, Probus probè, facilis facilè, citus citò, omnis omnino, fortuitus fortuitu, obuius obuiam, audax audacter, ingratus ingratis, diuinus diuinitùs.
    - Verbis: ut à Peragro peregrè, à Certo certatim, à Mordeo mordicùs: ab inusitato Rito (quod est apud Priscianum) ritu.
    - Pronominibus: ut, Ille illhic, Iste istbac, Meus meatim, quod antiquum est.
    - Participijs: ut, Abundans abundanter, Fidens fidenter.
    - Aduerbijs, uel secundum gradus
      - Diminutionis: ut, Clam clanculum, Aliquantum aliquantulum aliquantillum, Longè longulè longiusculè: Paulum, paululum, pauxillum, pauxillulum.
      - Comparationis: ut, Secus secius, Tempori temporius, Propè proximè proximius, Potius potißimum uel potißimè.
    - Præpositionibus, cùm absolutè eæ ponuntur, & casus suos amplius non regunt: ut ab Ex, fit extra: ab Ad, aduersum. Omnes autem orationis partes, ut Seruius annotauit, suis casibus amißis Aduerbia fiunt.
  - E pluribus fiũt: ut à
    - Nomine & uerbo:
    - Nomine & aduerbio:
    - Pronomine & nomine:
    - Verbis duobus:
    - Aduerbio & nomine:
    - Duobus aduerbijs:
    - Aduerbio & coniunctione:
    - Aduerbio & particula muta:

    Vt
    - Pedetentim, à pes & tento: Bifariàm, à bis & fari.
    - Edepol, Ecastor.
    - Mehercules, Mecastor.
    - Ilicet, ab ire licet: Videlicet, à uidere licet: Scilicet, à scire licet.
    - Interea loci: Vtpote.
    - Penitus, ex penè & intus.
    - Siubi, quod iam dicimus Sicubi.
    - Eccere, apud ueteres.

- Præpositione & nomine, idq; aut
  - Figuratè, *per contractiones aut mutationes syllabarum: ut,* Sedulò, *sine dolo:* Illico, *in loco:* Denuò, *de nouo.*
  - Simpliciter, *cùm tãtùm casus conglutinantur, uel diuersitate*
    - Accentus: *ut,* Exáduersum.
    - Quantitatis, *quæ aut*
      - Mutatur: *ut,* Interea & Præterea, *pro* Præter ea, & inter ea.
      - Non mutatur: *ut,* Hactenus, *quasi* hac tenus: Obiter, *quasi* ob iter.
- Præpositione & pronomine, *quod fit traiectione casus: ut,* Mecum, Tecum, Secum, Quicum.
- Præpositione & aduerbio: *ut,* Percastor & perpol, *apud* Terentium: Perhercle, *apud* Gellium.

¶ In deriuatione *obseruandum est, quod interdum ex una orationis parte, plura solent fieri aduerbia, uel*
- Mutata *significatione: ut, ab* humanus, Humanè humaniter & humanitùs.
- Significatione *non mutata: ut,* Fors forsan forsitan, Durus durè duriter, Nimius nimiùm & nimiò: Primus, primò, primùm, primà *poëticè, & apud antiquissimos* primiter.

DE FIGVRA.

Figuræ *aduerbiorum tres sunt:*
- Simplex: Vt Post.
- Composita: Vt Postea.
- Decomposita: Vt Posteaquam.

DE FIGVRA COMPOSITA.

In composita *figura spectantur tria:*
- Substantia, *cum quibus orationis partibus aduerbia componãtur, ut cum*
  - Nominibus: *ut,* Tantummodo, Quemadmodum, Quamobrem, Eare, Diequinto.
  - Præpositionibus, *uel*
    - Absolutè:
    - Cum coniunctis casibus:
    - Planè inusitatè:
    - Vt: Perbenignè, Adhuc, Exinde, Interdiu. Deindustrià, Deintegrò, Extemplò, Euestigiò, In primis. Desubitò, *apud* Plautum: Inante, *apud* Propertium.
  - Coniunctionibus: *ut,* Siquando, Nequaquam.
  - Aduerbijs: *ut,* Iamprimum, Etiamnum, Sursumuersum.
- Quantitas, *ex quot componantur orationis partibus*
  - Duabus: Vt *Postea.*
  - Tribus: Vt *Posteaquam.*
  - Quatuor: Vt *Subposteaquam, quod legitur apud Ciceronem ad Atticum.*
- Qualitas. *Componuntur Aduerbia aut ex*
  - Integris: *ut pleraque.*
  - Corruptis: *quæ in Specie sunt explicata.*

DE SIGNIFICATIONE.

Aduerbiorũ significatio, quam finitionem Diomedes, summam alij appellant, mul-tiplex

- Ex circunstãtijs, quorum Aduerbiorũ alij sunt
  - Personæ, προσώπου σημαντικά: Mecum, Tecum, Secum, Vobiscũ, Nobiscũ, Quicum.
  - Quantitatis, ποσότητος, quæ sunt significationis aut
    - Absolutæ: ut, Multum, Parum, Modicum, Minimum, Plurimum, Tantùm, Tantummodo, Adeò.
    - Discretæ: ut aduerbia
      - Ordinis, τάξεως: Deinceps, Dehinc, Continuò, Primò, Deinde, Tum, Postea, Præterea, Denique, Postremò.
      - Numeri, ἀριθμοῦ, quæ rursus sunt significationis aut
        - Infinitæ: Sæpe, Raro, Rursus, Iterum, Denuò.
        - Finitæ: Semel, Bis, Ter, Quater, Decies, Centies, Millies, Toties, Quoties, Aliquoties.
  - Qualitatis, ποιότητος, quæ ueniunt aut à
    - Nominibus, uel
      - Substãtiuis,
        - Simplicibus: Iurè, iniuria.
        - Gestum significãtibus: Viritim, Vicatim, Partim, Alternatim, Vnciatim.
      - Adiectiuis: ut, Doctè, Pulchrè, Fortiter, Sapienter, Facilè, Difficulter, Meritò, Falsò.
    - Verbis itidem gestum significantibus: ut, Strictim, Punctim, Raptim.
  - Loci, τόπου, ea quoq; significationis sunt aut
    - Communis: ut, Peregrè, Paßim, Penitus.
    - Discretæ, quæ sunt quatuor, ut Grãmatici appellant, σχέσεων, propter notationem ipsius loci:
      - In loco, ἐν τόπῳ, ἢ ὧδε στάσεως: Hic, Isthic, Illhic, Vbi, Ibi, Intus, Foris, Cominus, Eminus. Et composita: Ibidem, Alibi, Aliubi, Vbicunque, Vbique, Vbiuis. Et quæ ex præpositionibus fiunt: Antè Ponè, Suprà Infrà, Extra Intra, Vltra Citra, Iuxta. Et quæ de nominibus: Dextra Læua, Vtrinque.
      - De loco, ἐκ τόπου: Hinc, Isthinc, Illhinc, Inde, Vnde, cum compositis: Indidem, Aliunde, Vndecunque. Huc pertinent illa: Cœlitus, Funditus, Radicitus: Supernè, Infernè.
      - Ad locum, εἰς τόπον, ἢ ἐπὶ κινήσεως: Huc, Isthuc, Illhuc, Eò, Quò, Intrò, Foras, & aliquorum composita: Aliquò, Nequò, Quocunque, Siquò, Eòdem. Item, Sursum, Deorsum, Versum, Introrsum, Extrorsum, Læuorsum, uel Sinistrorsum, Retrorsum, Quorsum.
      - Per locum, διὰ τόπου: Hàc, Isthac, Illhac, Rectà: Quà, cum compositis, Nequa, Siqua.
  - Temporis, χρόνου, quæ sunt significationis aut
    - Infinitæ uel (ut Donatus) incertæ: Vnquam, Nunquam, Mox, Interim, Semper, Confestim, Extemplò, Euestigiò, Actutum, Subitò, Frequenter, Tantisper, Paulisper, Parumper, Antequam, Postquam.
    - Finitæ uel certæ, quæ sunt quatuor generum:
      - Præsentis: Hodie, Modò, Nunc, Iam.
      - Præteriti: Heri, Pridie, Nudiustertius, Antea, Nuper, Pridem, Iaminde.
      - Futuri: Cras, Perèdie, Diequarto, In posterũ, Decætero.
      - Communis: Manè, Vesperi, Crepusculo, Diluculo, Noctu, Interdiu, Olim, Quondam, Quando, Dudum, Vsque, Præstò.

triplex est: quã nos in duos distribuemus ordines. Aliqua enim cognoscuntur

Loci, temporisq́, τόπου τε καὶ χρόνου, *quæ* Diomedes *Communicandi, uulgò Grammatici Congregandi nominant: Simul, Vnà, Pariter. Et quæ Victorinus addit: Hactenus, Protinus, Illicò.*

Ex habitu, *quorũ alia sunt*

- Interrogandi, ἐρωτήσεως, *Percontandi Charisio: Cur, Quare, Quamobrem, Num, Nunquid, Non, Annon, Nonne, An, An'ne, Quidita.*
- Respondendi, ἀποκρίσεως: *Heu, Hem, Ohe.*
- Affirmandi, καταφάσεως, *Annuendi Victorino: Etiam, Ita, Sic, Verò. item: Quidni, Curnon, Quidisthuc.*
- Confirmandi, βεβαιώσεως: *Planè, Omnino, Certè, Profectò, Sanè, Maximè, Nimirum, Reuera.*
- Iurandi, καταμόσεως, *quæ sunt aut*
  - Infinita: *ut, Pol, Perpol, Edepol, Ecastor, Eccere, Mediusfidius.*
  - Personalia: *Mecastor, Mehercule.*
- Negandi, ἀρνήσεως, *Abnegandi Prisciano: Haud, Non, Neque, Haudquaquam, Minimè, Nullomodo.*
- Prohibendi, ἀπαγορεύσεως: *Ne, Nequaquam, Neutiquam.*
- Dubitandi, ἀπορήσεως: *Fors, Forsitan, Fortasse, Fortaßis.*
- Declarandi, διασαφήσεως: *Scilicet, Videlicet, Nempe, Exempligratia.*
- Demonstrandi, δείξεως: *En, Ecce.*
- Optandi, εὐχῆς: *ô, ôsi, Vtinam, Outinam, Si sic.*
- Hortandi, παρακελεύσεως: *Eia, Age, & inde formata Agesis, Agedum, Agite.*
- Vocandi, κλήσεως, *Charisio Compellandi, Diomedi Euocandi: Heus, ô, Eho.*
- Similitudinis, ὁμοιώσεως: *Ceu, Quasi, Sic, Vt. & ab hoc deriuata, Sicut, Sicuti, Velut, Veluti, Tanquam, Aequè. Item composita: Perinde, Prout, Acsi, Haudsecus, Non aliter, Quemadmodum.*
- Comparandi, συγκρίσεως: *Magis, Minus, Plurimùm, Minimùm.*
- Aestimandi, τιμήσεως: *Magnò, Paruò, Carò, Vili, Tantidem. Et quæ Victorinus addit, Ferè, Fermè.*
- Eligendi, ἐξαιρέσεως, *quæ & Corrigendi & Optandi: Imò, Potius, Magis.*
- Separandi, διαιρέσεως, *Diomedi Discernẽdi: Secus, Aliter, Seorsim, Singillatim, Priuatim.*
- Intendendi, ἐπιτάσεως: *Prorsus, Apprimè, Admodum, Penitus, Valde, Vehementer, Propè, Propémodum, Tantumnon.*
- Remittendi, ἀνέσεως: *Aegrè, Vix, Sensim, Paulatim, Pedetentim.*
- Euentus, εἰκασμοῦ: *Fortè, Fortuitò, Casu, Fortefortuna.*

¶ Aduerbia *distinguuntur tribus modis: sensu, & ac-*

Sensu *omnia Aduerbia aut*

- Vna significatione *habent multas uoces, & dicuntur* συνώνυμα: *ut, Fortè, fortasse, forsitan: Postremò, extremò, ultimò.*
- Vna uoce *habent multas significationes, & nominantur* πολυώνυμα:
  - Cur, *aliquando interrogatiuum est. Virg. Cur ante tubam tremor occupat artus? Aliquando infinitum. Proper. Quæris cur ueniam tibi tardius.*
  - Vbi, *interdum significat locum, & interrogatiuũ est. Terent. O Iupiter ubi nunc est fides? Interdum significat tempus, estq; infinitum. Virg. Inde ubi clara dedit sonitum tuba.*

centu, secundū Diomedem: loco seu ordine, secundum Priscianum:

- Accentu, *quo Latini utūtur (ut Fabius inquit) propter uocum ac uerborum diuersitatem. Aduerbia autem tam à nominibus et pronominibus, quàm à uerbis, solo accentu distinguuntur:*
  - Nomina *autem in quinque casibus fiunt Aduerbia:*
    - Nominatiuo. *Cic. ad Att. 13.* Cōmodùm *ad te miserā* Demeam. Acerbà: *Virgilius 11. Stabat acerbà fremens ingentem nixus in hastam.*
    - Datiuo. *Plaut. in Aul.* Tempori, *postquàm impleuisti fustibus istorum caput.*
    - Accusatiuo: *Diēm, pro breui tempore. Terēt. in Eunuch. Dièm hoc iam Pyrrhus factitauit. Ætatèm, pro longo tempore. Idem in Hecy. Neque ille hoc animo erit ætatèm.*
    - Vocatiuo. *Ouid. Quod malè fers: assuesce, feres.*
    - Ablatiuo: *Iniurià. Cicero, Iniurià suspectus ciuibus suis. Consiliò. Virg. Cōsiliò hanc omnes animisq; uolētibus urbē Afferimur.*
    - Tempore: *Brutus ad Ciceron. Satis temporè ad eos accedemus, ubi quid ualeant sciuerimus. Ingratìs: Terent. Opus faciam, ut defatiger usque, ingratìs ut dormiam.*
  - Pronomina, *in casibus quatuor:*
    - Nominatiuo. *Virg. 8. Hîc tunc ignipotens cœlo descendit ab alto. Idem in Bucol. Nihil est, quòd pocula laudes.*
    - Datiuo. *Terent. in Phor. Dum sedemus illì, interuenit adolescens.*
    - Accusatiuo. *Tibull. Quàm uellem in gelidis montibus esse lapis.*
    - Ablatiuo. *Cicero Valerio: Nam illô si ueneris. Idem Pæto: Liceat modò istô uenire. Idem in Tusc. Tormenta telorum eô grauiores emißiones habent, quô sunt contenta adductaq; uehementius. Fabius: Quô quisque ingenio minus ualet, hôc se magis uult attollere, ac dilatare conatur. Ouid. Quâ potes, ambiguis callidus abde notis.*
  - Verba, *in duobus possunt esse Aduerbia,*
    - Indicatiuo: *Adeò. Virg. Adeò à teneris assuescere multum est.*
    - Imperatiuo: *Ponè. Pone sine accentu, uerbum est. Cicero in Br. Pone satis in eo fuisse eloquentiæ. Póne, cum acuto, ut Diomedes annotauit, præpositio est: Plaut. in Curcul. Póne ædem Castoris sunt, quibus credas malè. Ponè, cum graui, est aduerbiū. Terent. in Phor. Ponè apprehendit pallio.*
- Loco, siue ordine, *in quo spectatur auctoritas propter collocationē. Aduerbia enim quædam*
  - Præponuntur toti orationi: *ut, Loci, temporis, interrogandi, affirmandi, negandi, prohibendi, demonstrandi, optandi, hortandi, uocandi, similitudinis.*
  - Certum locum *non habent, sed in oratione indifferēter uel præponūtur, uel subiungūtur: ut sunt quātitatis, qualitatis, & reliqua.*

DE COMPARATIONE.

Aduerbia comparātur, *aut*

- Quæ ueniunt *à nominibus adiectiuis: ut, Sapiēter sapientius sapientißimè.*
- Quæ à nulla *deriuātur alia orationis parte: ut, Sæpe sæpius sæpißime.*

Cōparatio *autem Aduerbiorū fit aut*

- ἀναλόγως, *secundum communem formam & regulam: ut, rectè rectius rectißimè, Consultò consultius consultißimè, Celeriter celerius celerrimè.*
- Μὴ ἀναλόγως, *quæ cōmunem formam non seruant, ut sunt*
  - ἀνώμαλα: *Parum minus minimè.*
  - ἐλλειπτικά, *ut quæ carent*
    - Positiuo,
      - *Magis maximè.*
      - *Ocyus ocyßimè.*
      - *Potius potißimum uel potißimè.*
    - Comparatiuo,
      - *Nuper nuperrimè.*
      - *Bellè bellißimè.*
    - Superlatiuo,
      - *Longinquè longinquius.*
      - *Tempori temporius.*
      - *Secus secius.*

DE PRÆPOSITIONE.

PRAEPOSITIO *est pars orationis, quæ præposita alijs partibus, significationem earum aut implet, aut mutat, aut auget, aut minuit. nam per se posita, nihil certi significat. Præponitur autem hæc pars alijs partibus orationis, uel per*

- Appositionem, *παράθεσιν, cùm præpostere collocatur, & ad finem adiungitur: hoc modo additur soli pronomini. Virg. Mecum erit iste labor. Terent. Vt habeas quicum cantites. Horat. Est quôdam prodire tenus, si non detur ultra.*
- Cōpositionem, *σύνθεσιν, cùm ad initium additur, quibus modis apponitur*
  - Nomini: / Verbo: / Aduerbio: / Coniunctioni: / Præpositioni alteri. — Vt
    - *Indoctus.*
    - *Adduco.*
    - *Abhinc, perinde, deinceps, apprimè.*
    - *Absque.*
    - *Plaut. in Aulul. Cœpit scalpuri re unguibus circumcirca.*
- Consequentiam, *ἀνακολούθησιν, ut fit in uerborum compositis, quomodo additur soli participio: ut, Adductus, imperterritus.*
- Constructionem, *σύνταξιν, cùm suo casui copulatur: ut, A Ioue principium. Et, Per uarios usus artem experientia fecit. Sine casu enim & uim nominis, & legem suam, & significationem præpositio amittit.*

DE ACCIDENTE PRÆPOSITIONIS.

Præpositionis *unum accidens est, nempe Casus. Seruiunt enim*

- Accusatiuo *triginta:*
  - *Ad, aduersus, ante, apud.*
  - *Circa, circiter, circum, cis, citra, contrà.*
  - *Erga, extra.*
  - *Infra, inter, intra, iuxtà.*
  - *Ob.*
  - *Penes, per, ponè, post, præter, prope, propter.*
  - *Secundum, secus, supra.*
  - *Trans.*
  - *Vltra, usquè.*
- Ablatiuo *quindecim:*
  - *A, ab, abs, absque.*
  - *Clam, coram, cum.*
  - *De.*
  - *E, ex.*
  - *Palam, præ, pro.*
  - *Sine.*
  - *Tenus.*
- Vtrique casui
  - Diuersis *significationibus quatuor:*
    - *In.*
    - *Sub.*
    - *Subter.*
    - *Super.*
  - Eadem *significatione duæ:*
    - *Clam.*
    - *Tenus.* Exempla ponentur libro secundo de Syntaxi.

DE COMPOSITIONE PRÆPOSITIONVM.

Præpositiones *aut*
- Componuntur: *quales sunt*
  - *Ad, Ante, Circum, Contra, Inter, Ob, Per, Post, Præter, Trans.*
  - *A, Ab, Abs, De, E, Ex, Pro, Præ, In, Sub, Super, Subter.*
- Nunquam componuntur: *ut præter commemoratas reliquæ omnes.*
- Nunquam separantur, *quæ uulgò dicuntur Inseparabiles, à Probo & Seruio appellantur Loquelares: separatæ enim in oratione, nihil significant. Cuiusmodi sunt*
  - AM: *Amputo.*
  - AS: *Aspello.*
  - CO: *Cogo.*
  - CON: *Congrego.*
  - DI: *Dirigo.*
  - DIS: *Dissipo.*
  - RE: *Relego.*
  - SE: *Separo.*
  - TRA: *Traijcio.*
  - O: *Omitto.*
- Separantur, *ut quæ compositionem non admittunt: ut, Apud memores ueteris stat gratia facti. Apud memores, duæ orationis partes sunt, semper separatæ.*
- Separari & coniungi possunt, *ut quæ compositionem admittunt: ut Per, hoc uersu separatur: Per uarios casus, per tot discrimina rerum. In hoc autem cohæret: ut, Perfer & obdura.*

¶ Quæ *autem componuntur, hæ præponuntur aut*
- Casibus: *quarum aliæ (ut dixi) accusatiuo seruiunt, aliæ ablatiuo, aliæ utrique.*
- Verbis: *quales sunt, quæ inseparabiles dicuntur.*
- Casibus & uerbis: *Cuiusmodi sunt, de quibus hîc loco ultimo, quæ & separari & coniungi possunt: hoc est, quæ & præponuntur casibus, & simul cum uerbis componuntur. Hæ autem rursus aut componuntur*
  - Simpliciter, *cùm una tãtum uerbo præponitur, eaq́; (ut Seruius tradit) aut*
    - Vim *suam retinet: ut, Induco.*
    - Vltimam *literam mutat: ut, Sufficio. nam* B *mutatur in* F: *de qua uariatione, in qualitate figuræ compositæ satis dictum est.*
    - Eandem *perdit: ut, Coëo.*
  - Cõiunctim, *uel quãdo coniunguntur*
    - Diuersæ, *eæq́; aut*
      - Separabiles: *ut, Transadigo, Superimpono.*
      - Inseparabiles: *ut, Redambulo, apud Plautũ.*
      - Inseparabilis *cum separabili, & contrà: ut, Redabsoluo, apud eundem: item, Recolligo, Derelinquo.*
    - Contrariæ: *ut, Disconuenio.*
    - Repetitæ: *ut, Adalligo: de quibus plura diximus suprà, in uerbis Decompositis.*

DE PRÆPOSITIONIBVS DEGENERANTIBVS.

Cùm *ex præpositionibus aduerbia fiũt, septem modis cognoscuntur:*
- Amissione casus. *Quando enim præpositiones sine casibus enunciantur, sunt Aduerbia: ut, Ante Iouem, nulli subigebant arua coloni: præpositio est. Antè diem clauso componat uesper Olympo: aduerbium.*
- Mutatione casus. *Quando proprius non additur, eodẽ modo præpositiones sunt aduerbia. ut Virg. Ramum longo pòst tempore uisum. nam si præpositio esset, dicendum erat, Longum post tempus.*
- Compositione. *Cùm & Præpositio & casus, quasi non amplius separabiles, coniunguntur: ut, Propédiem, in primis, quamobrem, præterea, decompacto.*
- Suppositione. *Si pars casualis non sequitur præpositionem, est aduerbium. Virg. 5. Æneid. Pòst ubi confecti cursus. Aut si sequitur casus non conueniens. Idem 1. Pòst alij proceres. Nam si casus est legitimus, præpositio manet. Tibul. Venit post multos una serena dies.*
- Accentu. *Præpositiones carent accentu. ut Horat. Iliacos muros intra peccatur, & extra. Idem: Nil intra est oleam, nil extrà est in nuce duri. Aduerbia, differentiæ causa accentu notantur.*
- Deriuatione. *Præpositiones omnes primitiuæ speciei sunt, Aduerbia uerò deriuatiuæ esse possunt.*
- Significatione. *Præpositiones nisi coniungantur cum aliqua dictione, per se nihil significant: aduerbia etiam per se, cum nullo alio uerbo coniuncta, certam aliquam significationem habent.*

PRÆPOSITIONES DEGENERANTES SVNT.

ACCVSATIVI.

Ante.	*Cic.Bruto: Quid interſit, idem illud, utrum antè an pòſt decernatur.*
Circum.	*Virg.4. Æneid. An ne uides toto properati littore circum.*
Circa.	*Cicer. Attico: Noſtram ambulationem, & Laconicum, eaq; quæ circà ſunt, inuiſas.*
Citra.	*Ouid.5. Metamorph. Dextera diriguit, nec citrà mota, nec ultrà eſt.*
Contra.	*Cic.1. Off. Propriè in eo qui arma contrà ferret, remanſit.*
Intra.	*Columella lib.12. Vaſa & opercula extrinſecus, & intrà diligenter picata eſſe debebunt.*
Extra.	*Perſ. Pueri, ſacer eſt locus, extrà Meijte.*
Infra. Supra.	*Cic.2. de Nat. deor. Partes eæ quæ ſunt infrà quàm id quod deuoratur, dilatatur: quæ autẽ ſuprà, cõtrahuntur.*
Iuxta.	*Ouid.8. Metamorph. Neque enim eſt accedere iuxtà Auſus.*
Pone.	*Vir.2. Æneid. Ponè ſubit coniunx, ferimur per opaca locorum.*
Poſt.	*Tibul.1. Pòſt Veneris uinclis ſubdere colla ſenem.*
Præter.	*Cic.5. ad Att. Nullas adhuc acceperam, prætèr quæ mihi binæ ſemel in Trebulano redditæ ſunt.*
Procul.	*Virg.6. Æneid. Procùl, ô procul eſte prophani, Conclamat uates.*
Prope.	*Liu. Decimum iam propè annum aſsiduus in oculis hominum fuerat.*
Propter.	*Terent. in Eunuch. Interdum proptèr dormiet.*
Præ.	*Idem: I præ, ſequar.*
Secundum.	*Plaut. I tu ſecundùm, ſequar.*
Secus.	*Idem in Cæco: Nihil feci secùs, quàm me decet.*
Vltra.	*Cic.15. ad Att. Oratio ſcripta elegantiſsimis ſententijs, uerbis ut nihil poſsit ultrà.*
Vſque.	*Tibull.2. Nam calamus cera iungitur uſque minor.*

ABLATIVI.

Cum.	*Cic. Dolabellæ: Is cùm uitandi belli cauſa profectus eſſet in Hiſpaniam cum M. Varrone.*
Coram.	*Virg.1. Æneid. Coràm quem quæritis, adſum.*
Clam.	*Ibid. Clàm, ferro, incautum ſuperat.*
Palam.	*Idem 9. Luce, palàm certum eſt, igni circundare muros.*
Super.	*Idem 2. Æneid. Cui neque apud Danaos uſquam locus: & supèr ipſi Dardanidæ infenſi pœnas cum ſanguine poſcunt.*
Subter.	*Idem 4. Tot uigiles oculis ſubtèr (mirabile dictu) Tot linguæ, totidem ora ſonant.*

DE CONIVNCTIONE.

CONIVNCTIO *eſt pars orationis, cõnectens ordinãsq; uel uerba uel ſententias. Coniunctiones uocantur à Cicerone particulæ, ab Ariſtotele & Apollonio* σύνδεσμοι, *ab Hermogene* συμπλοκαί. *Connectendo autem copulant & ſimiles orationis partes, & ſimilia partiũ accidentia. Cõiunctioni accidũt tria:*

- Figura, *quæ pertinet ad compoſitionem.*
- Poteſtas, *quæ ad ſignificationem: hanc Priſcianus nominat Speciẽ.*
- Ordo, *qui pertinet ad collocationem.*

DE FIGVRA.

Figuræ *duæ ſunt:*

- Simplex: *ut, Quoniam, quandò.*
- Compoſita: *ut, Quoniamquidem, Quandoquidem. Componũtur autem coniunctiones, uel ex*
  - Particulis *mutis, & ſeparatim nihil ſignificantibus: ut, Nanque, Duntaxat.*
  - Particulis aliquid ſeparatim ſignificantibus: *ut, Quinetiam, Enimuero, Siquidem.*

¶ Inter *coniunctiones compoſitas multæ inueniuntur, de quibus ambigas, num coniunctiones ſint, an aduerbia. Cuiuſmodi ſunt, Quamuis, præterea, quatenus, etenim, & ſimiles. Ideo, teſte Victorino, eiuſmodi uoces Grammatici interdum aduerbia coniunctiua, interdum coniunctiones aduerbiales nominauerunt.*

DE POTESTATE.

Potestas coniunctionũ, est ipsarum uis & significatio: quam qui rectè tenet, eaq; loco uti potest, is Latinam linguã se didicisse fateatur. Inter primam speciem τοῦ ἑλληνισμοῦ ponit Aristoteles ad Theodecten, τὴν ἀποδίδοσιν τῶν συνδέσμων. Aliæ autem cõiunctiones sunt uel

- **Copulatiuæ**, σύνδεσμοι συμπλεκτικοί, quarum aliquæ
  - Verba copulant: Et, Que, Quoque, Etiam, Ac, Atque.
  - Copulant sententias: Cùm, tum, Non modò, uerumetiam, Etsi, tamen.
- **Disiunctiuæ**, quæ uerba quidem copulant, sed uerborum sententiam disiungunt, διαζευκτικοί: Aut, Vel, Seu, Siue, Ne, Nec, Neque, Neu, Neúe. Disiunctiuæ autem interdum sunt
  - Dubitatiuæ, ἀπορηματικοί: Vtrum, An, Si, Sin.
  - Indicatiuæ, ἀποφαντικοί. Cicero ad Att. Vel tibi paruimus, uel non occurrimus, uel hoc fuit rectius.
  - Subiunctiuæ, παραδιαζευκτικοί: Vel uel, Partim partim, Aut aut: Nec, neque.
- **Aduersatiuæ**, ἐναντιωματικοί, quæ diuersam superiori sententiam adijciunt: At, Ast, Sed, Atqui, Verùm, Porrò.
- **Causales**, αἰτιώδεις, quæ rationem superioris sententiæ reddunt
  - Illatione, quæ illatiuæ & effectiuæ dicuntur, συλλογιστικοί, Quanquam, Quamuis, Etsi, Tametsi.
  - Collectione, quæ uulgò rationales, & ratiocinatiuæ, αἰτιολογικοί, à Prisciano collectiuæ, ἐπιλεκτικοί nominantur: Ergo, Igitur, Ideo, Idcirco, Quocirca, Quapropter, Scilicet, Videlicet, Puta, Nẽpe, Quippe, Præterea.
  - Causales, cùm apud Græcos, tũ apud Latinos triũ sunt generum:
    - Continuatiuæ, συναπτικοί, quæ consequentiam significant rei præcedentis ad sequentẽ: Si, Siquidem, Quin, Quinetiam, Ni, Nisi, Nisi si.
    - Subcontinuatiuæ, παρασυναπτικοί, quæ causam continuationis consequentem ostendunt: Quia, Quoniam, Quandò, Quandoquidem, Quoniamquidem.
    - Adiunctiuæ, συζευκτικοί, quæ uerbis subiunctiuis adiectæ, causam superiori adiungunt: Cum, Dum, Ne, Quatenus.
- **Completiuæ**, παραπληρωματικοί, quæ ornatus magis gratia adduntur, quàm necessitatis: Ergo, Nam, Quidem, Verò, Autem. Hæ dicuntur Repletiuæ Palæmoni, Expletiuæ Charisio.

DE ORDINE.

Ordo seu ἀνταπόδοσις, est coniunctionum collocatio. Aliæ enim sunt

- **Præpositiuæ**, προτακτικοί, ἀρκτικοί, προηγούμενοι Grammaticis appellatæ, Aristoteli πρότεροι, quæ præponuntur, & dicuntur principales à Diomede: At, Ast, Nam, Si, Quin, An, Quanquam, Quapropter.
- **Postpositiuæ**, seu subsequentes, Aristoteli ὕστεροι, quæ aut
  - In medio ponuntur, quæ dicuntur ὑποτακτικοί, ἐπιτακτικοί, ἐπακολουθητικοί, ἐπιφερόμενοι, quæ subiungũtur aut supponuntur: Subiunctiuæ Diomedi, Suppositiuæ Charisio: Quidem, Tamen, Enim, Quoque, Etiam, Ita, Sin autem.
  - In fine tantùm ponuntur, quasi inclinatiuæ, ἐγκλιτικοί: Que, Ne, Ve.
- **Communes**, quæ & præponi & subsequi solent: Itaque, Ac, Seu, Siue, Et, Atque, Nec, Vel, Aut.

DE INTERIECTIONE.

Interiectio *est pars orationis, quæ affectum animi significat, uel*

- Voce illiterata & *incondita, ut sunt uoces*
  - Exultantis: *Euax, euohe, Io io.*
  - Dolentis: *Heu, eheu, ah, oh, au, uæ.*
  - Timentis: *Hei, atat.*
  - Irascentis: *Hem, prob.*
  - Admirantis: *Papæ.*
  - Hortantis: *Eia, euge, hui.*
  - Optantis: *ô, ôsi.*
- Sonitus illiterati *imitatione,*
  - Respuentis: *Phy.*
  - Vocantis: *Heus, eho.*
  - Ridentis: *Haha, hæhæ.*
  - Flentis: *Oi, hei.*
  - Silentium imperantis: *St, st.*
- Voce literata, *attamen mutata: nam interdum loco interiectionis ponitur aut*
  - Simplex uox, *ut*
    - Nomina
      - Propria. *Catullus: Omne æuum tribus explicare chartis, Doctis (Iupiter) & laboriosis.*
      - Appellatiua: *qualia sunt, Infandum, indignum, malum, mirum, miserum, miserabile, turpe, mirabile, nefas, odiosum. De quibus exempla annotabuntur infrà.*
    - Verba: *qualia sunt, Precor, obsecro, amabò, sodes, age, cedo: de quibus etiam in Syntaxi subijcientur exempla.*
  - Tota oratio, *cùm affectuosa est: sed eam impropriè ad interiectionem retulit Charisius: magisq; eiusmodi sermo ad rhetorica πάθη, quàm ad Grammaticam proprietatem pertinet.*

De tertia Grammaticæ parte, quæ agit de Prosodia, seu de Syllabarum quantitate.

DE PROSODIA.

OMNES syllabæ, quod ad collocationẽ et quãtitatẽ (ut initiò dictũ est) attinet, aut primæ sũt, aut mediæ, aut ultimæ: eæq; uel longæ, uel breues, uel ambiguæ. Omniũ autẽ quãtitas cùm in genere cognoscitur, tum etiam cognoscitur in specie.

- In genere
  - Omnium
    - Positione, θέσει.
    - Diphthongo, διφθόγγῳ.
    - Regula, κάνονι.
    - Exemplo, παραδείγματι.
  - Primæ ac mediæ
    - Vocali ante uocalem, τῷ φωνήεντι πρὸ τοῦ φωνήεντος.
    - Deriuatione, παραγωγῇ.
- In specie
  - Primæ
    - Præpositione, προθέσει.
    - Compositione, συνθέσει.
  - Mediæ
    - Accentu, τόνῳ.
    - Diminutione, ἀφαιρέσει.
  - Vltimę, Terminatione, λήξει, aut
    - Vocalis, τοῦ φωνήεντος.
    - Consonantis, τοῦ συμφώνου.

DE SYLLABARVM QVANTITATE IN GENERE.

DE OMNIBVS SYLLABIS.

I

¶ DE POSITIONE.

POSITIO, qua Syllaba producitur, quæq; Syllabis omnibus accidit, fit aut

- Vsitatè, κυρίως, iuxta uulgarẽ scilicet consuetudinẽ: idq; aut
  - Reuera, τῇ ἐνεργείᾳ, *cùm in eadẽ dictione, uel in diuersis, duæ pluresue consonantes, aut una geminata uocalem consequitur: ut, Carmen, ineptus, sapiens, annus, capillus.*
  - Facultate, τῇ δυνάμει, *cùm è duplicibus aliqua uocalem sequitur: uel I litera, aut interdum V, inter duas uocales ponitur. ut, Axis, Alexander, felix: Gaza, obryzum: Laius, Pompeius, Harpyia: Diuus, uuidus, superaui, quieui.*
- Minus usitatè, καταχρηστικῶς, seu (ut ueteres uocãt) modo quodam, τῷ τρόπῳ. Vel
  - Cùm dictio *quæ uocali terminatur, ab altera dictione incipiente à duobus consonantibus, excipitur, solito more Græcorum. ut Ouid. 5. Trist. Nil opus est morte pro me, sed amore fideq;. Idem: Quamq; lupi sæpe plus feritatis habent. Hoc ne quis inciso tribuat, inueniuntur & alia exempla. Tibull. libro primo: Pro segete spicas, pro grege ferre dapem. Catull. in carmine nuptiali: Nulla fugæ ratio, nulla spes, omnia muta.*
  - Cùm particula *Enclitica in fine producitur. Virg. 1. Georg. Tribulaq;, traheæq;, & iniquo pondere rastri.*

OBSERVATIO.

Si post mutā sequitur liquida, triplex obseruatio studiose annotanda est:

- I. Syllabæ positione longæ, *breues fiunt.* Ouid. *in* Heroid. *Hercule supposito sidera fulcit Atlas. Idem 6.* Met. *Ad mandata Prognes, & agit sua uota sub illis.*
- II. Contrà breues syllabæ, *propter eandem positionem fiunt longæ. Idem 13.* Met. *Et primò similis uolucri, mox uera uolucris.*
  - *Eôdem referuntur:*
    - *Tenebræ, lugubris.*
    - *Cyclops, Patroclus.*
    - *Trinacria, ludicrus.*
    - *Quadrupes, cedrus, cupressus.*
    - *Pater patris, Hetruscus, meretrix, & his similia.*
- III. Syllabæ natura longæ, *propter mutam & liquidam fieri breues nūquam possunt. ut, Mater matris, ater atri, mitra: latro, quod canum est. Item ebrius, salubris, lauacrum, clepsydra, cōpotrix. Vibro, apud Catull. in Epigr. & flagro, apud Virg. in Georg. primam habent correptam.*

II.
DE DIPHTHONGO.

Diphthōgus, *qua eodē modo syllaba producitur, est duarum uocalium connexio: ut, Aula, Eurus, æuum, cœlū, Thaleîa. Diphthōgus interdum corripitur, idq; fit uel*

- Vsitatè, *sequēte uocale, uel*
  - In compositione: *ut, Præire, præhendere. Ouid. 7. Met. Quas ubi uiderunt præacutæ cuspidis hastas.*
  - Extra compositionem, *more Græcorum, quod rarius est apud Latinos. Virg. 3. Æneid. Insulæ Ionio in magno, quas dira Celæno, Harpyiæq; colunt aliæ.*
- Contra communem usum. *ut in Edepol, ecastor, mecastor: quæ priorem corripiunt apud Comicos, κατ᾽ ἀφαίρεσιν alterius uocalis. Turpilius Demiurgo: Ego edepol docta dico, quæ mulier uolet. uersus senarius. Plaut. Aulul. Nec nūc mecastor, quid hero ego dicam meo. Eiusdem rationis.*

III.
DE REGVLA.

Regula *est obseruatio certa, cōprobata usu & consuetudine, qua syllaba & pro-*

- I. Contractio *longam semper efficit syllabā. Hæc fit aut*
  - Vsitatè: *ut, Nil pro nihil, Di pro Dij, Mî pro mihi, Quîs pro quibus, Cuî pro cuī.*
  - More Græcorum. *Virg. Ilionêi monitu, & multùm lachrimantis Iuli.* Ἰλιονῆι Ἰλιονῆ. *Ouid. Forsitan & grauidam Didô scelerate relinquis.* Διδόα Διδῶ, κατὰ συναίρεσιν.
- II. Apostrophus *syllabā facit in aliquibus uocalibus*
  - Breuem. *Tibull. Euentura precor: uiden' ut felicibus extis, Significet placidos nuncia fibra Deos? pro, uidésne? Ouid. in Heroid. Nostin' an exciderint mecum loca? pro, nosti ne?* κατὰ κράσιν.
  - Longam. *Horat. in Serm. Illuc unde abij redeo: nemon' ut auarus Se probet? Virg. 1. Æn. Tun' ille Æneas, quem Dardanio Anchise, &c.*
- III. Monosyllaba *ferè producuntur:*
  - Nomina: *ut, Par, mas, fas, uer, lis, uis, bos, dos, fur, thus, sus.*
  - Pronomina, *Me, te, se, tu, nos, uos.*
  - Verba: *Do, sto, flo.*
  - Particulæ: *Ne, non, cur, sic, en, sin, quin, & similia. Excipiuntur Mel, fel. Item, Bis, ter, an: & quædam alia, de quibus in ultimis syllabis plura.*
- IIII. Præterita *duarum syllabarum priorem producunt. Excipiuntur sex, quæ cognoscūtur ex compositis,*
  - *Dedi, addidi.*
  - *Steti, astiti.*
  - *Scidi, conscidi.*
  - *Bibi, ebibi.*
  - *Fidi. Horat. 2. Carm. Diffidit urbium Portas uir Macedo.*
  - *Tuli, intuli.*

duci potest, & corripi. Regulæ autem sunt duodecim:

V. Præterita *principiũ geminantia primam habent correptam: & nisi obstet positio, etiam mediam. ut* Cecidi, à cado: fefelli, pepuli, tetigi, & antiquum tetuli. Didici. Momordi, spopondi, totondi. Cucurri, pupugi, tutudi. *Quod ad mediam syllabam attinet, excipiuntur duo: pepedi, à pedo: cecìdi, à cædo.*

VI. Præterita *in* VI *unam syllabam desinentia, mediam habent productam: ut,* Spectaui, deleui, ambiui, agnoui.

VII. Supina *item duarũ syllabarum producuntur. Excipiuntur decem* Datum. Satum. Ratum. Statum. Itum. Quitum. Situm. Litum. Citum. Rutum.

VIII. Tempora *uerborũ præsentis et præteriti, de quibus formantur, etiã sequuntur quantitatẽ, in modis omnibus. Nam in ijs quæ ueniunt ab Indicatiuo*
- Præsenti, *corripiuntur: ut,* Lego, legebam, legam, lege, legito, legerem, legere.
- Præterito, *producuntur: ut,* Legi, legeram, legissem, legerim, legero, legisse.

IX. Voce quædam *in compositione corripiuntur, quæ separatim uocales longas habent:*
- E *in liquefacio, & tepefacio, & similibus. ut Virgil.* Frigore mella Cogit hiems, eademq; calor liquefacta remittit. *nam antepenultimam longam declarat deriuatio, & Ouidij auctoritas in 7. Met.* Thura liquefaciunt. *Vsitatè eam, quæ antepenultimam antecedet, producit: nam simplex coniugationis secundæ est. Eandem rursus corripuit 1. de Ponto:* Sic mea perpetuis liquefiant pectora curis. *Quam eodem modo semper correptam ponit Virgilius. Idem præceptum modò obseruauit Catullus, ut in Hymenæo,* Alta tepefaciet permista flamma cæde. *Modò neglexit, ut ad Mallium:* Frigida deserto tepefecit membra cubili. *Quem in postremo secuti Virgilius atq; Ouidius.*
- I. *ut* Vni, *in* Vnicuiq;. *Prop.* Vnicuique dedit uictum natura creato. *Item* Siquidem, *in prima syllaba:* Totidem, *in media. Excipiuntur* Tantidem & Vbiq;. *Huc pertinent illa figurata,* Dicier, dominarier.
- O. *ut,* Tanto, *in* tantopere, *in media:* Quomodo, *in ultima.*
- V. *ut,* Diu, *in* diuturnus.

X. Nomina propria *eandem quantitatẽ non habent uel in*
- Casu recto: *ut,* Sichæus & Italus, *apud Virgilium:* Pelion, Pyrene *pro monte,* Fidenæ, Curetes, Orion *apud alios poëtas, primam modò producunt, modò corripiunt.* Cybele *communem habet penultimam:* Œnotria, Apulia, *item* Sidonius, Ionius, *antepenultimam*
- Genitiuo: *ut,* Orion Oriõnis & Oriònis, Syphax, Syphãcis & Syphàcis: Dauid, Dauĩdis & Dauìdis. *In his autem non omnium est, sed probatissimorũ sequenda auctoritas.*

XI. BI & TRI *particulæ, in compositis sunt breues: ut Horat.* Bimaris'ue Corinthi Mœnia. *Virg.* Et forma tricorporis umbræ. *Item* TRE, *ut in nominibus* Tredecim & Treuiri. *Item* DV *in* Duplex.

XII. Variatio *significationis, uariat interdum numerũ: ut,* Tribulum *pro instrumento, primam producit. Virg.* Tribulaq;, traheæ. Tribulus *pro genere spinæ, eandem corripit. Idem:* Lappæq; tribuliq; absint. *Similiter* Crathis *pro fluuio producitur Ouid. 4. Fast.* Est prope piscosos lapidosi Crathidis amnes. Crathis, *pro hominis proprio corripitur. Idem 4. Met.* Huc Lygus, huc Sagaris, Peneusq;, Hypanisq;, Crathisq;. *De proprijs, plura in syllabis medijs.*

IIII.

¶ DE EXEMPLO.

Exemplum nihil aliud est, quàm laudata bene scribentium auctoritas, quo syllaba anceps est: corripi enim et produci potest. Eò utimur, cùm reliquis destituti sumus. Exempla autem sunt uel

Usitata, quæ imitatione digna sunt: qualia sunt optimorum, ut Virgilij, Tibulli, Propertij, Ouidij, & qui his sunt similimi, quos etiam ualere præ cæteris uolumus.

Minus usitata, quæ in lectione aut uetustißimorum, aut maximè recentium occurrunt, quæ tamẽ sunt obseruatione digna. Eaq; uel

Auctoritatem habent, ut in nomine Euripus, cùm ponitur pro freto: ut apud Lucanũ, Senecam, Silium, Val. Flaccum, Ausonium. item cùm pro aquæ ductu, ut Cicero exponit: ut apud Ouidium 1. de Ponto, Stagnaq; & Euripi uirgineusq; liquor: producit, ut apparet, penultimam, quam Boëthius breuẽ ponendo primus luxauit. Similiter in nomine Edonus, antepenultimam producũt Virgilius, Horatius, Ouidius: quos ego imitari malim, quàm Lucanum aut Silium, qui eandem corripiunt, cùm ille Thraciæ populus sint ἠδωνοί. Fieri, prima longa: Suspicio, longa antepenultima. Abi, redi, ultimis breuibus apud Comicos, præter usitatam aliorum consuetudinem, reperiuntur. In aduerbio temporis Serò, ultima apud Tibullum longa est: Heu serò reuocatur amor: apud Iuuenalem, Statium, Martialem, breuis quos qui imitatur, se auctoritate recentiorum potest defendere.

Valent consuetudine. Ecclesiastici scriptores Idolum et paraclitus, ἄλλον καὶ παράκλητος, in penultimis contra naturam corripiunt: sed id dederunt consuetudini uulgi canentis, ne quid dissonum in templis audiretur.

Astruuntur opinione. Nomen VOLUPTAS, propter sequens PT priorem habere correptam apud Comicos, certum est, exemplo Græcorum. In eo tamen metri gratia nonnulli elidunt uocales: Camerarius O, ut sit Vluptas: Erasmus V ut sit Volptas. Nonnulli elidunt consonantes: Glareanus P, ut sit Volutas: Alciatus T, ut sit Volupas, à uolupe: quas elisiones opinio doctißimorum uirorum peperit, quasi uoluptate quadam in nomine Voluptatis ludentium. Sed quia apud poëtas, sequentibus duabus consonantibus syllabæ quædam breues manent, earum consonantium quasdam annotabimus.

Syllabæ igitur antecedentes breues sũt, propter sequentes consonãtes,

CM Horat. 2. Carm. Mouit Aiacem Telamone natum, Forma captiuæ dominum Tecmessæ. Sapphicus, habens in fine – ◡ – –.

CT. Teren. in Phor. Senectutem oblecte, respice ætatem tuam. Iambicus senarius, cuius primo loco ◡ ◡ –. Homer. ἀλλ' ἐπὶ λικτρὸν ἰὼν ἄκρον δάκτυλον καταδάνω.

GD. Mart. lib. 5. Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas uno Portat in articulo Stella, Seuere, meus.

GN. Teren in And. Tuũ est, si quid præter spem euenit, ignoscere. Iãbicus senarius, cuius loco quinto ◡ ◡ –. Ouid. in Met. Debuit illius misereri, & ignoscere nobis.

MN. Teren. in And. Sine omni periclo, nam hocce haud dubium est quin Chremes. Eiusdem generis uersus, cuius loco primo ◡ ◡ –. Propert. 3. Et scelus accepto Thracis Polymnestoris auro. Catul. de Aty: Abero foro palæstra, stadio, atq; gymnasijs. uersus Galliãbicus, in cuius fine pæon tertius & pæon quartus, ◡ ◡ – ◡. ◡ ◡ ◡ –. Hesiodus, ἥτε καὶ ἀπάλαμνόν περ ὅμως ἐπὶ ἔργον ἐγείρει.

MP. Catul. in eodem carmine: Niueis citata cepit manibus leue tympanum. Ita Homerus, ἣ κροτάλων τυμπάνων τ' ἰαχὴ σύν τε τρόμος αὐλῶν.

PT. Plaut. in Merc. Voluptate, uino & amore delectauero. Iambicus trimeter, in cuius initio ◡ ◡ –. In epitaphio Plauti apud Gelliũ: Postquã est morte captus Plautus, comœdia luget. Versus hexameter cuius loco secũdo – ◡ ◡. Ita Homerus, οὐδ' ὅσα θήβας αἰγυπτίας, ὅθι πλεῖστα δόμοις ἐνὶ κτήματα κεῖται.

SC. Lucilius lib. 3. Sat. Rhegina uidebis Mœnia, tum Liparas, Fascelinæ templa Dianæ. Hexameter, cuius loco tertio est – ◡ ◡.

ST. Ter. in Adel. Non innuerã, uerùm in istam partem potius peccato tamen. Iambicus octonarius, cuius loco tertio ◡ ◡. Idem in Hec. Quis me est fortunatior? Venustatisq; adeò plenior? Trochaicus octonarius, cuius loco quarto – ◡ ◡.

TL. Ouid. in Heroid. Hercule supposito sidera fulcit Atlas. In extremo est – ◡ ◡ –.

DE PRIMA AC MEDIA SYLLABA. IN GENERE.

Prima ac media syllabæ, præter eas rationes quas modò enumeraui, duabus alijs dignoscuntur, uel

- **Vocali ante uocalem, qua plerunq; syllaba corripitur. ut, Priamus, Italia, filius, ianua, seruitiū, puella. Hoc mutatur tribus modis:**
  - **Imitatione Græcorū, uel propter**
    - Vocales longas: ut, Aër, Laërtes, Chaon, Aenes, Menelaus, Briseis, Pierus, Io, Chius, Herois.
    - Diphthongos: ut, Darius, Orion, Medea, Laodamia, Ægeon
  - **Cōsuetudine Latinorū, ut in**
    - Genitiuis & datiuis in EI quintæ declinationis: ut, Diei, speciei.
    - Genitiuis in IVS
      - Alius & solius, nunquàm breues fiunt: alterius, nunquam est longam, nisi apud uetustißimos. Ennius apud Priscian. Mox alterius cum obligurias bona. Idem fit in interiectionibus, ut Ohe, & Eheu.
      - Dubij sunt, natura breues, longi consuetudine, Nullius, unius, illius, ipsius, utrius.
    - Verbo Fio, quando litera R uocalem non sequitur, longa est, Fio fiebam: nam fierem & fieri excipiuntur. Ouid. 1. Trist. Omnia nam fient, fieri quæ posse negabam.
    - Interiectionibus: Ohe & Eheu.
  - **Vsu poëtarum, quod est figuratū: fit enim uel**
    - κατ' ἀνάλυσιν. Ennius apud Persium: Lunai portum est operæ cognoscere ciues.
    - κατὰ διαστολήν. Virg. 1. Æn. Exercet Diana choros.
    - κατ' ἐπένθεσιν. Idem: Hinc atq; hinc glomerantur Oreades. Huc pertinent Rhea, pro sacerdote: & Malea, pro promontorio. simpliciter enim solent corripi, interpositione uocalis produci.
- **Deriuatione, qua syllaba utranq; quantitatem recipit: qualis enim quantitas originis, talis itē eius quod inde descēdit: ut Iocari, primam habet breuem, uenit enim à nomine iocus. Tib. lib. 3. Difficile est tristi fingere mente iocum. Ora-**
  - A`breuibus dictionibus fiunt deriuationes longæ: ut, à cado casus, à moueo mobilis, à sedeo sedes, à nare natare, à statum staturus, à quater quatuor, à secus secius, à Cerere Ceritus: à suspicor suspicio, apud Comicos ueteres. Item in Græcis deriuationibus: ut ἀπὸ τῆς ῥιπῆς, Eurîpus: ab ἥμισυ, hemîna: ἀπὸ τῆς πείρας, periculum, pro experientia, secundum Asconium. Cauendum est autem, ne falsæ afferantur etymologiæ, quales hæ uidentur esse.
  - A`longis dictionibus existunt deriuationes breues: ut, à sopio sopor: à dico, dicax, & maledicus, fatidicus, & similia: ab odi, odium: à uitando, uitium: à stando, stabilis: à luceo, lucerna: à fido, fides: à fando, fatuus & affatim: à Sagio, sagax: à bacillus, imbecillis: à nubo, pronubus. Huc pertinent diminutiua: mamilla, à mamma: tigillum, à tigno: sigillum, à signo.
  - A`breuibus seu longis inueniūtur deriuationes multiplices: ut, quotidie à quoto die, primam apud Catullum producit, apud Martialem corripit: alteram syllabam producit apud Terentium, corripit apud Catullum. A` flabrum flabellum, cuius primam longam fecit Propertius, breuem Ouidius. A` sto status, prima breui apud Horatium: eādem longa apud Terentium. A` uieo uieui uiētum, regulariter penultimam

tio primam longam, quia deducitur à uerbo oro. Virg. Stabant orantes primi transmittere cursum. Hæc uariat rationibus contrarijs. Interdum enim

timam producit, ut apud Lucretium: contrà eandem corripit, ut apud Comicos, & Horatium. A' nubo, connubium: quod antepenultimam modò longam, modò breuem habet. Quando, in quãdoque, longa est: ut, Quandoque bonus dormitat Homerus. In quando quidem, breuis: ut, Quandoquidem fatis urgetur acerbis.

A' diuersis dictionibus, sed inter se similibus, deriuationes indifferentes: ut Liquidus, à deponente liquor, prima lõga: à neutro liqueo, prima breui. Huius exemplum uersus Lucretij est lib. 4. Crassaq; conueniunt liquidis, & liquida crassis.

DE SYLLABARVM QVANTITATE IN SPECIE.

DE PRIMA SYLLABA.

PRIMA syllaba separatim dupliciter cognoscitur

- Præpositione. Harum aliæ in compositione
  - Breues, βραχεῖαι: ut, AB, AD, IN, OB, PER, SVB. Abeo, adeo, ineo, obeo, pereo, subeo. Et inseparabilis RE, quæ longa fit uel
    - Differentiæ causa: ut, Refert, pro utile est.
    - Figuratè, τῷ διπλασιασμῷ. Ouid. 10. Met. In quem recidimus, quidquid mortale creamur. Horat. 1. Serm. Dij tibi dent capta classem reducere Troia.
  - Longæ, μακραί: ut, A, E, DE, PRO: Amitto, emitto, demitto, promitto. & inseparabiles DI, CO, SE, TRA: Dirigo, copulo, separo, traijcio. Hæ mutantur dupliciter,
    - Vocali ante uocalem: ut, Deamo, dehisco: item, Coactus, seorsum.
    - Vsu auctorum, ut
      - DI corripitur in uerbo Dirimo, & in nomine Disertus.
      - PRO, in multis anceps est, ut in Procuro, profundo, propello. Lucret. lib. 4. Paruula causa Est satis à tergo, quæ prouehat atq; propellat. Corripitur autem in certis
        - Nominibus: ut, procella, profugus, profundus, professtus, pronepos, proteruus, propago pro genere.
        - Verbis: ut, proficiscor, profiteor, profano, propino.
        - Aduerbijs: ut, proinde, profectò.
- Compositione: quæ syllabarũ correptiones & moras, ipso significat accentu:
  - βραχύτητα: Voro deuoro, grauis pergrauis, bene perbene.
  - μακρότητα: Pono depono, durus prædurus, primùm apprimè.

DE MEDIA SYLLABA.

Media syllaba speciatim, nõ satis facilem et explicatam habet co-

- Accentu, quo syllaba modò longa modò breuis. Est autẽ accẽtus, depressio eleuatió ue syllabæ: qui non adhibetur nisi in polysyllabis, neq; in ulla alia quàm in penultima, quæ uel deprimẽdo corripitur, uel eleuando producitur. ut scribere, amare : dominus, amicus. In cognoscẽda autem syllaba penultima, néquis similitudine fallatur, considerãda in uocabulis sunt sex:
  - I. Natura, θέσις, quæ se statim offert in casu recto: ut, mediam productam habent hæc sequentia, Hastile, erica, tibicen, Briseis, Getulus, Thrasybulus: eãdem correptam ista, mißile, manica, fidicen, Nereis, Rutulus, Atabulus pro monte.
  - II. Qualitas, κλίσις, quæ ex obliquorum regulis discenda est, usu obseruatis: ut
    - Media efferuntur producta,
      - Iber Iberis, Brito Britonis.
      - Calcar calcaris, ferox ferocis.
      - Arpinas Arpinatis.
      - Calor caloris, radix radicis.
    - Eadem pronunciantur correpta.
      - Æther ætheris, Myrmido Myrmidonis.
      - Iubar iubaris, præcox præcocis.
      - Anas anatis,
      - Frigus frigoris, calix calicis.
    - Mediam in genitiuis naturam habent quædam nomina propria: de quibus in regulis generalibus dictum est.
  - III. Analogia, quæ nominũ diuersorum est æqualitas, propter similitudinem deriuationis. Vt quemadmodum mediæ producuntur in Loquela, uinosus, alumen: similiter etiam in Medela, generosus, bitumen. & ut antepenultima breuis in Monumentũ, ita quoq; in Documentum. Hæc enim, si ortum spectes, sub eandem rationem cadunt.
  - IIII. Deductio, quæ est aut
    - Certorum nominum, & tantùm adiectiuorũ. Nã quæ ueniunt à nominib. substantiuis possessiua
      - Rerum animatarum, producunt penultimã: ut, Mustelinus, murinus, porcinus, anserinus: à mustela, mure, porco, ansere. Huc pertinent Mediastinus, clandestinus, festinus.
      - Rerum non animatarũ, eandem corripiunt. Ea triũ sunt generum. Significant enim aut
        - Materiam: ut, Murrhinus, crystallinus, adamãtinus: Item, Faginus, cupreßinus.
        - Qualitatem: ut, Coccinus, ianthinus.
        - Tempus: ut, Crastinus & serotinus: exceptis duobus, Matutinus, uespertinus.
    - Verborum in prima coniugatione, quorum aliqua
      - Producuntur, quæ actionẽ absolutam habent: ut, Festino, inclino, propino.
      - Corripiuntur, quorũ actio ad aliud refertur: ut, Inquino, destino, contamino, procrastino.

bet co-

bet cognitionem. Cognoscitur autem modis duobus:

litudine fallatur, consideranda in uocabulis sunt sex:

V. Origo dictionis, ἐτυμολογία, quæ est omniũ tam nominũ quàm uerborum, eaq; solet inuestigari uel

- Ex parte orationis: ut, Exĭlis, nomen producitur. Lucan. lib. 4. Glebis exīlis Arisbe. Exĭlis, uerbum corripitur. Horat. lib. Epod. Vtcunque fortis exĭlis puerpera. Versus hic est iambicus trimeter, seu senarius.
- Ex partium uarijs accidẽtibus
  - Casibus: ut
    - Decŏris, à decus. Virg. Oblitus decŏrisq; sui.
    - Decôris, à decor. Idem: Diuini signa decôris.
  - Coniugatione: ut
    - Parēre, pro obtemperare. Tibull. Longa dies homini docuit parēre leones.
    - Parĕre, pro eniti. Terent. in And. Hanc simulant parĕre, quo Chremetẽ absterreãt. Versus hic quoq; est iambicus senarius.
  - Temporibus: ut
    - Cecĭdi, à cado. Virg. Cecĭditq; superbum Ilium.
    - Cecīdi, à cædo. Ouid. Silua frequens trabibus, quam nulla cecīderat ætas.

VI. Significatio, σημασία, ut

Alia significatio est, Oblītus, media lõga: Virg. in Buc. Nunc oblīta mihi tot carmina. alia Oblĭtus, eadẽ breui: Tibull. Oblĭtus & musto feriet pede rusticus uuas. Excĭtus, id est, expergefactus. Ouid. Nec fruitur somno uigilantibus excĭta curis. Excītus, pro euocatus. Virg. Qui bello excīti reges. Alia significatio est in nomine Propago, cùm canit Virg. Gaudent propagine uites: alia, cùm idem, Nimium uobis Romana propago Visa potens superi. Primum dicitur de plantis, alterum de hominibus. Valet hæc eadem in primis syllabis: ut cùm Ouidius canit de tabellis, At quondam uile fuistis acer. loquitur de arbore. Cùm uerò idem de equo, Acer & ad palmæ per se cursurus honores: aperta syllabæ est differentia. Apud eundem: Verba puellarum folijs leuiora caducis. quid leue sit, est notißimum. Apud Tibullum autem aliud significat, canentem: Carior est auro iuuenis, cui læuia fulgent Ora.

Diminutione, qua syllaba indifferens est, & quantitatis utriusq; particeps. Diminutio autem est detractio, cùm de fine dictionis una atq; altera, plurésue syllabæ demuntur, & ex eo quod reliquum est, elicitur quantitas. Fieri hoc nequit, nisi in dictionibus quatuor aut plurium syllabarum. Tibull. Pieridas pueri, doctos & amate poëtas. In nomine Pieridas, abiecta ultima syllaba, manet Pieri: unde antepenultimam intelligimus esse breuem. Item, Sceleratißime, scire si uoles, LE quanta sit, tolle syllabas finales tres: RA quanta, aufer duas: & hanc produci, illam corripi, ex ipso deprẽhendes accentu.

DE VLTIMA SYLLABA.

- Vltimæ syllabæ iudicantur speciatim ex terminatione uel uocaliũ, qui apud Latinos ancipites sunt, excepto V. Vel consonantium, quarum etiam
  - Terminatio uocalis. In genere desinentia in
    - A producuntur. Excipiuntur
      - Nominatiui et uocatiui cuiuscunque generis, declinationis, numeri: ut, Poëta, Musa, indigena, dogma, scamna, Bactra.
      - Accusatiui item Græci: ut, Agamemnona pœnitet iræ.
      - Vocatiui item à Græcis, quorum aliqui producũtur: ut, Aenea, Theutra. Aliqui corripiuntur: ut Atrida, apud Propertiũ: & Oresta, apud Ouidium.
      - Ita, quia, corripiuntur.
      - Antea aduerbium producitur, Postea corripitur: Postilla antiquum producitur. Catul. Nec sibi postilla metuebant talia uerba. Propert. Hypsipyle nullos postilla sensit amores.
      - Numeralia, quæ declinantur, breuia sunt: quæ non declinantur, longa. Virg. Triginta capitum fœtus enixa iacebit.
      - Ablatiuus primæ producitur.
    - E corripiuntur. Excipiuntur
      - Ablatiuus quintæ: ut, Die, specie.
      - Græca fœminina, Penelope, Canace, Euadne.
      - Neutra indeclinabilia: ut, cete, tempe.
      - Vocatiuus primæ & tertiæ nominatiuorum ES terminatorum: ut, Anchise, Achille.
      - Ablatiuus tertiæ, à Græcis primæ: ut, Laërteq́; satus.
      - Imperatiuus secundæ, ut Doce. Excipiuntur, Vale, uide, caue, quæ aliquoties communia sunt.
      - Ab adiectiuis deriuata. Aduerbia, item aduerbiorum gradus in cõparatione producuntur: ut doctè, doctißimè: præter bene & malè. Quæ à nominibus ueniũt in IS, corripiuntur: ut, dulce, difficile. Quæ aduerbia non deducuntur à nominibus, sunt correpta: ut Penè, ritè, sæpe, nempe, quippe. Excipiuntur, ferè, ferme, hodie.
      - Coniunctiones encliticæ, que, ne, ue, breues sunt, quibus additur TE, in cõpositione: ut, meopte, suopte, & tute. Propert. lib. 3. Nullo præmisso de rebus tute loquaris. Item CE: ut, Eiusce, huiusce.
    - I producũtur. Excipiuntur
      - Pronomina: Mihi, tibi, sibi.
      - Aduerbia, Nisi, quasi.
      - Vbi & ibi, sunt communia: horum tamen composita producuntur, Vbiq́; & ibidem.
      - Græci uocatiui. Ouid. Tu Pari semper ama. Et, Phylli fac expectes Demophoonta tuum.
    - O communia ferè sunt
      - Græca masculina plerunque corripiuntur: ut, Apollò, Plato, Zeno.
      - Fœminina semper producuntur: ut, Dido, Hero, Sappho.
      - Datiuus & ablatiuus secundæ declinationis producuntur.
      - Gerundia in DO, natura sunt longa, usu corripiuntur. Tibul. Aufer & ipse meum pariter medicando dolorem.
      - Aduerbia in O producuntur, exceptis Modò & citò, quæ habentur cõmunia. Idem fit in compositis, Dummodo, postmodo, quomodo.

rum etiam

rum etiam diuersa & multiplex est in quantitate uariatio.

V producuntur *omnia. Seruius & Victorinus aiunt corripi, sine auctoritate. Illud tamen in 8 Aeneid. Tuq; ô Tybri, tu ô genitor, cum flumine sancto: imitatione Græcorum dictum est: nimirum ut sequente uocale, longa syllaba corripiatur.*

B corripiuntur: *ut, Ab, ob, sub. Externa producuntur, Iob, Iacob.*
C producuntur. *Excipe Nec, donec. Fac uerbum, & Hic pronomen, sunt communia.*
D corripiuntur: *ut, Ad, sed, quid, quod. Barbara producuntur, Dauid, Bogud.*
L corripiuntur. *Excipe Sol. Peregrina censentur longa: Tanaquil, Gilgil, Daniël, Michaël.*
M corripitur, *si non elidatur, ut apud Comicos fit, & Lucretium. Id appâret ex compositis. Ouid. More lupi clausas circumeuntis oues. nam Tibullus Græca cõsuetudine, Cimmeriôn etiam obscuras accesit ad oras. Catullus: Iuppiter ô Chalybôn omne genus pereat.*

N corripiuntur. *Græca Excipiuntur*
- Nominatiui: *ut, Pan, Titan, Pæan: item, Hymen, Siren: item Ixion, Actæon: item, Delphin, Salamin, Trachyn, Phorcyn.*
- Accusatiui
  - Primæ & *secundæ inflexionis. Horat. Pythagoran, Anytiq; reum, doctumq; Platona. Ouid. Andromeden alius spectet, claramq; Coronam.*
  - Secundæ *in* AN, *qui dubij sunt: interdum enim*
    - Producũtur. *Idem: Qui legis Electran, & egentem mentis Orestem.*
    - Corripiuntur: *ut apud eundem: Maian, & Electram, Taygetamq; Ioui.*
  - Tertiæ *& quintæ in* ON, IN *&* YN. *Ouidius Acheloon & Inachon amnes. Prop. Thyrsin & attritis Daphnin arũdinibus. Ouid. Fessum Rhadamanthyn & Aeacon annis.*

R corripiũtur, *Excipiuntur*
- Par, *cum compositis.*
- Græci *nominatiui à quinta declinatione: ut, Aër, æther, character, crater, spinter, Iber. Nam à tertia corripiuntur: ut Leander, Euander, Tymber. De prioribus etiam excipiuntur, Pater & mater.*
- Vir *& cor, sunt communia.*

Terminatio *consonantis*

As producuntur
- Græca *quintæ in* DOS *genitiuũ habentia: ut, Ilias, Pallas pro dea, Pythias pro muliere. nam Pallas Pallantis, pro filio Euãdri: et Pythias Pythiæ, pro amico Damonis, sunt longa.*
- Accusatiui *plurales: Et multos illhic Hectoras esse puta.*

Es producuntur. *Excipiuntur*
- Genitiuis *crescentia nomina: ut, Miles, seges, hebes. Excipe, Abies, aries, paries: & pes cum compositis, uno ex ijsdem rursus excepto, quod est præpes. ut, Præpes adunca Iouis.*
- Terminatio *Græca, in masculinis, fœmininis & neutris. Ouid. in Fast. Hoc Curetes habent, hoc Corybãtes opus. Idẽ in Hero. Occurrẽt longo tibi Troades agmine matres. Iuuenalis Sat. 7. Tenet insanabile multos Scribendi cacoëthes, & ægro in corde senescit.*
- Es, *à uerbo Sum, cum compositis corripitur: ab Edo, producitur.*
- Penes *præpositio, breuis est.*

IS corripiuntur. Excipiuntur
- Gentilia, & alia locorum propria: ut, Samnis, Curis, Opoïs, Simoïs.
- Datiuus & ablatiuus plurales in IS: ut, Magistris, Musis.
- Secunda persona præsentis quartæ coniugationis. Ouid. Quid ualeam nescis, & te mea robora fallunt.
- Item, Sis, Vis, cum compositis.
- Item, Velis, Poßis.
- Vltima futuri subiunctiui. Ouid. de Arte: Credula si fueris, aliæ tua gaudia carpent. Idem in Fastis: Da mihi te placidum, dederis in carmina uires.
- Quîs ablatiui casus. Virg. Quîs ante ora patrum.

OS producuntur. Excipiuntur,
- OS oßis, Compos, Impos.
- Nominatiui Græci, quorum genitiuus in diphthongum exit: ut, Ios, Argos, Delos, Chaos.
- Item genitiui: ut, Arcados, Thetyos.
- Attica producuntur. Ouid. Viueret Androgeos utinam, nec facta luiſſet.

VS corripiuntur. Excipiuntur
- Fœminina genitiuis crescentia: ut Salus, uirtus, incus, pecus pecudis.
- Genitiuus singularis, & casus plurales in VS quartæ.
- Græca
  - Nominatiui: ut, Hydrus, Amathus, Melampus, Panthus.
  - Genitiui: ut, Fatidicæ Mantûs.

YS peregrina corripiuntur: ut Capys, Libys. Excipitur Thetys, pro uxore Oceani.

T, corripiuntur. In uerbis interdum hæc litera producitur. Ouid. Non adijt aptè, nec legit idonea credo Tempora. Martianus, in T ait esse communia.

LIBRI PRIMI FINIS.



Georgii Fabricii Chemnicensis partitionum Grammaticarum, quæ Tabulis delineatæ sunt, Liber Secundus.

DE SYNTAXI, QVARTA GRAMMATICÆ PARTE.

Syntaxis (*quam Priscianus modò ordinationem, modò cõstructionem, modò dispositionem, modò structuram uertit: recentiores Complexum & coagmentationem nominant*) *est orationis perfectæ apta connexio, atque absoluta comprehensio. Seu est facultas quædam, sententiam animi citra ambiguitatem efferendi. Ea duplex est: aut*

- Absoluta & simplex, *ἁπλῆ, uel* (*ut Priscianus*) *αὐτοτελής, hoc est, ἀσχημάτιστος, quæ communes sequitur regulas, nec deflectit à uulgi consuetudine: in qua scilicet nec*
  - Subauditione *obscuratur aliquid.*
  - Immutatione *deprauatur.*
  - Superfluitate *redundat.*
  - Omissione *deficit.*
  - Traiectione *claudicat.*
- Figurata, *ἐσχηματισμένη, in qua usitatæ regulæ non obseruãtur, aut propter*
  - Subauditionem.
  - Immutationem.
  - Abundantiam.
  - Defectum.
  - Traiectionem.

¶ *Figurarum autem amplior sequitur diuisio, in initio libri Tertij.*

DE SYNTAXI SIMPLICI ET ABSOLVTA.

Syntaxis simplex seu absoluta, posita est in partib. orationis, & earum præcipuis accidentibus: uidelicet
- Genere.
- Numero
- Casu.
- Modo.
- Tempore.
- Persona.

In simplici Syntaxi considerantur quatuor in genere:

- Consecutio, ἀκολουθία, ut pro usu ac consuetudine sermonis Latini, partes & earum accidẽtia cõiungantur. Quãuis enim pati damnum, aut furtum contrahere, secundum regulam uerborum dici potest: tamen Latinitas propter auctoritatem bene & polité scribentium, eiusmodi phrases non admittit. M. Antonium reprehendit Cicero, qui facere contumeliam dixerit, cùm eo tamen loquendi modo Terentius utatur.
- Conuenientia, σύνταξις, quæ est partium concordia quædã, ut adiectiui cum substantiuo, relatiui cum antecedente: item nominatiui cum uerbo, accusatiui aut ablatiui cum præpositione.
- Exigentia, ἀπαίτησις, ἢ λῆψις, quæ est casuum collocatio, ut adiectiua quædam exigunt genitiuum, quædam datiuum, quædam ablatiuum, eosq́; omnes à tergo. Verbum exigit certos casus à fronte: coniunctio exigit certos modos atque tempora.
- Ordo, τάξις, qui est positus uerborum usitatus, uel secundum naturam, uel secundum artem. aliqui enim positus omnino non admittuntur: ut, Domo ex uenit, contra naturam est: quamuis, Aedibus ex tuis egressus est, secũdum artem, peruersè tamẽ & figuratè dicitur. Secundum naturam substantiuum anteponitur adiectiuo: relatiuum sequitur antecedens. Enn. Amicus certus in re incerta cernitur. Pub. Fortuna uitrea est, quæ cùm splendet, frãgitur. Secundum artem aliter fit. Horat. Maxima pars hominum morbo iactatur eodem. Terent. Populo ut placerent, quas fecisset fabulas.

Parit regulas
- Imitationis.
- Generales.
- Speciales.
- Singulares.

Vt sermo fit
- Elegãs et proprius.
- Congruus.
- Latinus.
- Vsitatus, aut certè exemplo non careat.

REGVLÆ DE NOMINIBVS PROPRIIS.

Nomen proprium
- Eodem, ut cũ iungitur aut cũ
  - Alio proprio, uel
    - Prænomine: }
    - Cognomine: } Vt, M.
    - Agnomine: }
      - Antonius, Cn. Pompeius.
      - Tullius.
      - Tullius Cicero.
  - Appellatiuo: ut, Vrbs Roma, amnis Eridanus, hostis Medus. Hoc mutatur apud poëtas more
    - Græcorum, qui mutant casum. Virg. Celsam Buthroti ascendimus arcem. Et, Plurimus Eridani per siluam uoluitur amnis. Propert. Medorum pugnaces ire per hostes.
    - Latinorum, qui in proprijs fluuiorum nominibus etiam genus mutant: ut, Flumen Rhenum apud Horatium: mare Oceanum, apud Catullum.

ponitur

ponitur aut casu

- Diuerso, *uel*
  - Genitiuo, *cum proprio adiungitur nomen cognationis aut familiæ, omisso tamen appellatiuo. Cic. Sophia Septimiæ: id est, filia. Horat. Gratidia Albuti: id est, uxor. Seruius hoc genus figuram* πτώσεως *nominat.*
  - Ablatiuo, *cùm adiungitur nomen tribus, quod & Asconius & Seruius annotarunt. Cic. in Diuinatione contra Verrem: Inuentum esse fortem amicum ex eadem familia Q. Verrem Romulia. Idem pro Quint. L. Albutius Sexti filius Quirina.*

REGVLÆ DE NOMINIBVS SVBSTANTIVIS.

Substantiua *significant, aut*

- Rem eandem, *& ponuntur in eodem casu: ut, Hyacinthus gemma, lilium herba, acer arbor.*
- Res diuersas: *eaq; rursus*
  - Si substantiua non manent, *sed alterū adiectiuè ponitur, regulam adiectiuorum sequuntur. Ouid. Hoc est, cur odio sit tibi serua manus. id est, manus seruilis. Virg. Hinc populum latè regem, bellisq; superbum. id est, populum latè regnantem.*
  - Sin manent substantiua, *alterum est casus genitiui: ut, Misera est magni custodia census. Facilis custodia recti. Dos est magna parentium uirtus. Hic autem genitiuus significat aut*
    - Qualitatem: *ut, Exemplum disciplinæ.* / Relationem: *ut, Socius itineris.* — *Hic porrò genitiuus, aut*
      - Contrahitur *in unum proprium: ut, Horat. 1. Epist. Empedocles an Stertinij deliret acumen: Stertinij acumen, pro Stertinio. Idem 2. Serm. Virtus Scipiadæ & mitis sapientia Lælij: pro, ipse Scipio & Lælius.*
      - Circūscribitur, *idq; uel per*
        - Præpositionem *& accusatiuum: ut, Custos ad limina: pro, custos liminis. Procurator ad elephantos: pro, elephantorum procurator.*
        - Præpositionem *& ablatiuum: ut gubernator à nauis pro, gubernatore nauis. Mercenarius à uilla: pro mercenario uillæ.*
    - Mensuram: / Pondus: / Possessionem: — *Vt*
      - *Vini sextarius.*
      - *Vncia auri.*
      - *Arma Glauci & Diomedis.*

REGVLÆ DE CASIBVS SVBSTANTIVORVM.

Substantiuis *additur aut casus*

- Simplex, *genitiuus scilicet, uel ablatiuus, laudis aut uituperij. Eadem enim significatione dicimus, Philosophus acris iudicij, & Philosophus acri iudicio. Talia sunt, Parens prole, 1. Æneid. apud Virgilium: & Socer nata, 4. Trist. apud Ouidium.*
- Duo simul, *ijq; uel*
  - Natura, *ut genitiuus: ut, Præfectus prætorij.*
  - Adoptione, *ut datiuus: ut, Præfectus prætorio. Eodem modo Lucanus de Catone inquit: Vrbi pater est, urbiq; maritus.*

ADIECTIVORVM DIVISIO.

Adiectiua, *doctrinæ causa in duo genera distinguuntur. Alia enim sunt*

- Absoluta, *αὐτοτελῆ, eaq; adiũgũtur aut*
  - Vni tantùm *substantiuo, quæ substantiua sunt uel*
    - Collectiua.
    - Propria.
    - Propriorum *notam habentia.*
  - Pluribus substantiuis, *quæ rerum sunt uel*
    - Animatarum.
    - Non animatarum.
  - Alteri adiectiuo *adiunctum, loco substantiui ponitur.*
- Relatiua, *ἀναφορικὰ, qualia sunt quæ dicuntur*
  - Relatiua *propriè, eaq; duplicia: uel*
    - Accidentis, *τοῦ συμβεβηκότος, in quibus casus aut*
      - Mutatur.
      - Omittitur.
    - Substantiæ, *cùm relatiuum aut*
      - Vni *substantiuo adiungitur.*
      - Inter duo *substantiua ponitur.*
      - Orationem *totam refert.*
  - Interrogatiua, *in quibus cõsideratur aut*
    - Conuenientia, *cùm apponitur interrogatiuo redditiuum: cui uarijs modis responderi potest.*
    - Exigentia, *cùm perpenditur aut*
      - *Casus proprius.*
      - *Interrogatio de possessore.*

DE NOMINIBVS ADIECTIVIS ABSOLVTIS.

Adiectiua *absoluta, αὐτοτελῆ, substantiuis necessariò cohærẽt, & perpetuò quasi ancillãtur: ut sunt uniuersalia, possessiua, demõstratiua, ordinalia, redditiua. Adiectiuũ autem adiũgitur uel*

- Vni substantiuo, *cui respondet genere, numero, & casu: ut,* Non *iacet in molli ueneranda scientia lecto. Ouid. Ardua per præceps gloria uadit iter. Quòd si substantiua sunt*
  - Collectiua, *tum mutatur uel*
    - Genus. Virg. *Pars arduus altis Puluerulẽtus equis furit.*
    - Numerus Ouid. *Pars uolucres factæ.*
    - Vtrunque. Virg. *Hîc manus, ob patriam pugnando, uulnera passi. Hæc figura dicitur σύνθεσις.*
  - Propria, *mutatur genus cum subauditione speciei seu nominis communis.* Virgil. *Preneste sub ipsa: intelligitur ciuitate.* Terent. Eas *se non negat transtulisse in* Eunuchum *suam.* Repetitur, *fabulam.*
  - Proprij notam habentia, *mutatur quidẽ genus, sed sine subauditione: quod fit in hyperbolis.* Terent. *in* And. *Vbi ille scelus est, qui me perdidit? Idem in Eunucho: Dij deæq; omnes illum senium perdant, qui me hodie remoratus est.* De *hoc plura, cùm species Synthesis explicabimus.*
- Pluribus substantiuis, *quæ si sunt rerum*
  - Animatarum, *adiectiuum respondet substantiuo in genere & casu, uel*
    - Propiori, *κατὰ ζεῦγμα.* Virgil. Æneas *urbe, & socijs, & classe recepta.*
    - Digniori, *κατὰ σύλληψιν.* Terent. Domus, *uxor, liberi, inuenti, inuito patre.*
  - Non animatarum, *tum adiectiuum aut*
    - Manet *genere eodem. Cæsar: Opera munitionesq; propè esse perfectas.*
    - Mutatur *in neutrum.* Cic. *ad* Treb. *Tu ad tuos uelim scribas, hæc quidem certè, quæ in potestate mea sunt, ut operam, studium, consilium, rem, fidem meam, sibi ad omnes res parata putent.*
- Alteri adiectiuo, *ex quibus alterum poni substantiuè necesse est: ut,* Fortunatus *senex, fidus amicus.* Gallus: *Hac par diuitib. pauper egenus erit.* Tibull. Fictilia *antiquus primũ sibi fecit agrestis* Pocula.

DE NOMINIBVS ADIECTIVIS RELATIVIS.

Adiectiua relatiua, ἀναφορικά, quæ ad aliud respectum habent, neque semper in omnibus, sed in quibusdam tantùm interdũ cohærẽt. Qualia sunt quæ dicuntur

- **Relatiua**: ea sunt (ut Priscianus libro 1. de Syntaxi, ait) quæ secundã cognitionẽ significãt: ideo eadẽ definit li. 12. credo aut Apollonij aut Herodiani uerbis: Relatiua sunt cognitionis antelatæ repræsentationes. Ea distincta sunt modis duobus. Alia enim appellantur relatiua
  - **Accidẽtis**, τοῦ συμβεβηκότος, quæ repræsentãt aut referũt rem aduenticiam. Ea cum substãtiuis adiũctis, genere, numero, et casu conueniunt. Cic. Lent. Quales in rep. principes sunt, tales reliqui solent esse ciues. In his casus à poëtis aut
    - **Mutatur.** Virg. 6. Æn. Tum Tartarus ipse Bis patet in præceps tãtùm, tenditq; sub umbras, Quantus ad æthereum cœli suspectus Olympum.
    - **Omittitur uel in**
      - **Parte priore.** Horat. in Canid. Quale non perfectius Meæ laborarunt manus. Hic nihil antecedit quod referat.
      - **Parte posteriore.** Virg. in Sileno: Nec tantùm Phœbo gaudet Parnaßia rupes, Nec tantùm Rhodope miratur & Ismarus Orphea.
  - **Substantiæ**, τῆς οὐσίας, quæ repetunt personam, aut rẽ sensib. subiectam. Relatiuum hoc, aut
    - **Vni substãtiuo antecedenti adiungitur, & cum eo cõuenit uel**
      - **Genere, numero** & casu. Plaut. in Bacchid. Mali sunt homines, qui bonis dicunt malè.
      - **Genere tãtùm** & numero. Lucan. Nulla fides pietasq; uiris qui castra sequuntur.
    - **Inter duo substãtiua ponitur**, quæ sunt generũ diuersorum. In quibus aut
      - **Antecedenti** respondet directè genere atque numero. Ouid. 1. Met. Vnus erat toto naturæ uultus in orbe, Quem dixere Chaos.
      - **Cõsequenti** respondet minus directè, qa genus mutatur, qd præcipuè cõuenire necesse est. Cic. 6 de Rep. Nihil est illi principi Deo in terris acceptius, quã cõcilia cœtusq; hominũ iure sociati, quæ ciuitates appellantur.
    - **Orationem** totã refert præcedentẽ, & tum in genere neutro ponitur. Horat. lib. Ep. Fontesq; lymphis obstrepunt manantibus, Sonos quod inuitet leues. Quod, id est, qui strepitus fontium lymphis manantium.
- **Relatiua interdum**
  - **Cõmutantur**, quãdo mutãtur accidentia, cõiunguntur q;, aut diuerso
    - **Genere**, κατὰ σύλληψιν. Virg in Buc. cùm Daphnidis arcũ Fregisti, & calamos: quæ tu peruerse Menalca, Et cùm uidisses puero donata dolebas.
    - **Numero**, κατὰ σύνθεσιν. Ouid. 2. Met. Fumat uterque polus, quos si uiolauerit ignis.
  - **Traijciuntur**, cũ nõ collocantur loco solito idq; etiã fit aut
    - **Casu antecedẽtis** manente. Virg 1. Æneid. Vrbem quam statuo, uestra est.
    - **Casu antecedentis** mutato. Terẽt. in And. Populo ut placerent, quas fecisset fabulas. Ouid. 2. de Arte: Sub qua nunc recubas arbore, uirga fuit. Rectum erat, fabulæ quas fecisset. & Arbor sub qua recubas.
  - **Permutantur**, quãdo relatiuũ possessorem, antecedens uerò rem possessam significat. Ouid. de Pon. Nunc mea scripta legis, qui sum summotus ad Istrum.
  - **Innouantur**, cùm antecedente substantiuo omisso, aliud assumitur. ut Virg. 6. Æn. Audacis Rutuli ad muros, quam dicitur urbem Acrisioneis Danaë fundasse coronis. Idem: Speculata locum, quo littore pulcher Insidijs cursuq; feras agitabat Iulus.
  - **Abundant**, cũ ociosè ponuntur uel
    - **Per se.** Cic. 1. Offi. Ludo & ioco uti illis quidem licet, sed sicut somno & quietibus cæteris.
    - **Cùm repetitur** antecedẽs. Terent. in Hec. Ita eam oppreßit calamitas, Eam calamitatẽ uestra intelligentia sedabit.
  - **Desunt**, cùm planè omittũtur, uel in
    - **Initio.** Tib. lib. 1. Quem referunt Musæ, uiuet dum robora tellus, Dum cœlum stellas, dum uehet amnis aquas.
    - **Medio.** Virg. 3. Æneid. Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt.

- Interrogatiua, de quibus hæ tenendæ sunt regulæ
  - Interrogatiuum & redditiuũ casu conuenire necesse est. Auson. Quis diues? qui nil cupiet: quis pauper? auarus. Respõdet autem interrogatiuo redditiuũ, uel
    - Eodem casu. Auson. Quæ nam summa boni? mens quæ sibi conscia recti.
    - Quasi materialiter. Seneca in Aga. Victor timere quid potest? quod non timet.
    - Per uerbum. Auson. Quod prudentis opus? cùm posit, nolle nocere.
  - Si interrogatiuum regit casum diuersum, redditiuum simili casu respondere non est necesse. Quanti indicauit? nummis centum. Quanti emisti? minis uiginti.
  - Cùm interrogamus de possessore, & per possesiuum respondendum est, tum hoc cum casu uerbi conuenit: ut, Cuius est hæc domus? Mea est.

ADIECTIVORVM SECVNDVM GRÆCOS VARIETAS, QVAM IMITATI SVNT LATINI.

- ADIECTIVA nomina aut
  - Mutãtur: uel in
    - Parte orationis, quod fit κατ' ἀντιμέρειαν: ut cùm
      - Neutra fiũt aduerbia, nempe ea quæ significant aut
        - Motum animi. Virg. Infandà furentem Armati circumsistunt: pro infandis modis. Idem, Hæret inexpletùm lacrimans: pro inexplebiliter.
        - Tempus. Horat. Fallacem circum cùm uespertinus oberro. Ouid. Hanc matutinos pectens ancilla capillos: id est, uespertino & matutino tempore.
      - Casus nominis, uerbo permutatur modi infinitiui. Horat. Mox reficit rates Quassas, indocilis pauperiem pati. Idem: Vix alius flectere equum sciens, Æquè conspicitur gramine Martio.
    - Partiũ accidentibus, quod fit κατ' ἐξαλλαγὴν ἢ ἀλλοιότητα. ut cũ mutatur
      - Genus uel ratione
        - Dignitatis, τῆς ἀξιώσεως, cùm respondet non uiciniori, sed remotiori: idq; aut
          - Vsitatè, ut in rebus animatis. Terent. in Andr. Siccine me atque illam nunc opera tua miseros sollicitarier?
          - Minus usitate, ut in rebus non animatis. Lucan. lib. 1. Mensuraq; iuris Vis erat: hinc leges & plebiscita coactæ.
        - Consequentiæ, τῆς ἀκολουθίας, cùm additur uel
          - Fœmininis neutrum. Sallust. Nox & præda hostem remorata sunt.
          - Mixtis neutrum. Idem: Diuitiæ, decus, gloria, in oculis sita sunt.
        - Inconsequentiæ, τῆς ἀνακολουθίας, cum ueluti materialiter subiungitur uel
          - Neutrum masculino. Claud. Triste, rigor nimius, Torquati despue mores.
          - Neutrum fœminino. Silius: Patriã & cõmune duobus Paupertas.
      - Casus in alium casum, ut nominatiuus in genitiuũ: idq; aut
        - Communiter, κοινῶς. Plin. lib. 2. Canum degeneres caudam sub aluum deflectunt. Idem lib. 8. Nigræ lanarum nullum colorem bibunt.
        - Atticè, κατὰ τὴν γλῶσσαν ἢ διάλεκτον. Terent. in Hec. Quid mulieris uxorem habes? Cic. 2. Offi. Quid te malum rationis, in istam spem induxit? id est, quæ mala ratio.
      - Species, cùm adiectiua neutra ponuntur pro substantiuis abstractis. Virg. 1. Georg. Simulacra modis pallentia miris Visa sub obscurum noctis. id est, sub noctis obscuritatem. Idem libro sexto: Pariter gresi per opaca uiarum: id est, per opacitatem inter uias.

- Circumscribuntur: uel per
  - Duo substantiua. *Virg. Hospitis Euandri sedem, & secreta petebat. id est, secretam sedem. Idem: Ipse dolos tecti ambagesq; resoluit. id est, dolosas ambages.*
  - Præpositionem & substantiuū, *ut quæ significant*
    - Habitum. *Virg. 11. Æneid. Ducit, & Rutulos equites Messapus in armis. Equites in armis, pro armatis equitibus.*
    - Locum. *Puer ex aula: pro aulico puero, apud Horatium. Ager sub urbe: pro agro suburbano, apud Terentium.*
    - Materiam. *Virg. 11. Æneid. Clypeumq; ex ære sinistræ Subligat. Clypeus ex ære, pro æreo clypeo.*
    - Dignitatem. *Cic. Cæsari: Adolescens ex nobilitate. pro, adolescens nobilis.*
    - Vicinitatem. *Plaut. in Aul. Vicini huius Euclionis senis è proximo. Vicinus è proximo: id est, uicinus proximus.*

DE CASIBVS ADIECTIVORVM.

- Regulæ *omnes quibus Latina cognoscitur oratio, aut sunt*
  - Generales, *siue communes: quæ pertinent ad plura accidentia, & appellantur Regulæ conuenientiæ: quales fuerunt, quæ modò expositæ de nominibus adiectiuis sunt.*
  - Speciales, *quæ sunt casuum tantùm, nec ad alia pertinent accidentia: & appellantur Regulæ exigentiæ. de quibus nunc agemus.*
  - Singulares, *quæ ad obseruationem pertinent, quas Regulas exceptionum dicere licebit, quæ constant auctoritate & exemplis: quia cum consuetudine communi non conueniunt.*

DE ADIECTIVORVM DIFFERENTIA, ET EORVM CASIBVS IN GENERE.

- Adiectiua nomina, *quantum ad cognitionē casuum atti-*
  - Gradus primi, *quæ suprà nominauimus θετικά, id est, positiua, primas scilicet adiectiuorū uoces: ut, Integer, doctus. Ea aut*
    - Vnum *tātùm casum adsciscunt: ut*
      - Genitiuum. *ut quæ sunt uel*
        - Certæ significationis.
        - Certæ originis.
        - Certi affectus.
        - Certi generis.
      - Datiuum, *ut quæ sunt uel*
        - Certæ significationis.
        - Certæ originis.
      - Accusatiuum, *uel more*
        - Latinorum.
        - Græcorum.
      - Ablatiuum, *uel in*
        - Genere.
        - Specie.
    - Assumunt *duos: ut*
      - Genitiuum Et *Ablatiuum.*
      - Datiuum Et *Genitiuum.*
      - Accusatiuum Et *Ablatiuum.*
      - Ablatiuum Et *Genitiuum.*
    - Admittunt *casum nominis interueniente præpositione, uel*
      - Accusatiuum *Cum præpositione.*
      - Ablatiuum, *Cum præpositione.*
    - Piures *casus habent, uel*
      - Sine *præpositione.*
      - Interueniente *præpositione.*
      - Casum *nominis permutant uerbo.*

net, distinguemus in adiectiua

- Graduum *secūdorum quae dicta sunt,* συγκριτικὰ *&* ὑπερθετικὰ, *id est, comparatiua & superlatiua: ut,* Integrior, *doctior: integerrimus doctissimus. Ea habent casus, aut*
  - Communes, *quos à suo positiuo sumunt, ipsa natura. Horat. in Arte:* O maior iuuenum, quamuis & uoce paterna Fingeris ad rectum, & per te sapis. *Virg. 7.* Ausonijs olim ditissimus aruis.
  - Proprios, *quos sibi adsciscunt potestate confirmata exēplis Scriptorū.*
    - Comparatiua *assumunt ablatiuum, uel*
      - Simplicem.
      - Duplicatum.
    - Superlatiua *adsciscunt genitiuum uel*
      - Singularem *nominis collectiui.*
      - Pluralem *cuiusuis nominis.*

I. DE ADIECTIVIS GRADVS PRIMI.

I. DE CASIBVS SIMPLICIBVS.

- Adiectiua *gradus primi, quae sim*-
  - Genitiuū, *eumq́ aut*
    - Vsitate *natura sua: ut quae sunt uel*
      - Certae significationis, *ut quae denotant aut*
        - Scientiam. *Virg. 1 Aeneid.* Non ignara mali, miseris succurrere disco.
        - Ignorationem. *Idem 10.* Nescia mens hominum fati, sortisq́; futurae.
        - Memoriam. *Pers.* Viue memor lethi, perituraq́; gaudia carpe.
        - Obliuionem. *Cic. post reditum in senatu:* Nemo gratiarum immemor, gratus est inuentus.
        - Cupiditatem. *Horat. in Arte:* Graijs dedit ore rotundo Musa loqui, praeter laudem nullius auaris. *Ouid. 1. de Pont.* Scilicet est cupidus studiorum quisque suorum.
        - Partitionem. *Cic. 1 Tusc.* Nemo hominum tam immanis, cuius mentem non imbuerit deorum opinio.
      - Certae originis, *ut sunt*
        - Verbalia *in* AX *desinentia. Ouid.* Tempus edax rerum, tuq́; inuidiosa uetustas. *Horat.* Iustum & tenacem propositi uirum.
        - Participialia. *Sallust.* Alieni appetens, sui profusus.
    - Minus usitate, *consuetudine scilicet uel*
      - Poetarum, *ut quae sunt certi affectus. Horat. 2. Car.* Notus in fratres animi paterni, Viuet extento Proculeius aeuo. *Virg. 10. Aeneid.* Ignarus rerum, ingratusq́; salutis. *Idem 11.* Fortunatusq́; laborum, Egregiusq́; animi. *Catul.* Leporum disertus puer & facetiarum.
      - Graecorum, *ut ea quae certi sunt generis. Cic. post reditum ad Quirit.* Superiorem esse contra improbos, minus est negotij, quàm bonis exaequari. *Ouid.* Quid mihi fortunae tantum, quid regna sine usu? *Terent.* Quid turbae est apud forum? quot illhic hominum litigant?
  - Datiuū, *ut quae sunt uel*
    - Certae significationis, *ut quae significāt aut*
      - Commodum. *Cic.* Qui ita se armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriae, sed pro his propugnare possit, is mihi & suis & publicis rationibus utilissimus atque amicissimus ciuis fore uidetur.
      - Incommodum. *Idem:* Si quis omissis honestissimis studijs rationis & officij, cōsumit omnem operam in exercitatione dicēdi, is inutilis sibi, perniciosus ciuis patriae alitur.
      - Amicitiam. *Terent.* Neque amicus, neque beneuolens illi quisquam erat.
      - Inimicitiam. *Idem:* Aduersus nemini.
      - Facultatem. Nec uisu facilis, nec dictu affabilis ulli.
      - Difficultatem. *Ouid.* Inuia uirtuti nulla est uia.
      - Vicinitatem. *Virg.* Proximus huic longo, sed proximus interuallo.
    - Certae originis: *ut sunt*
      - Verbalia *desinentia in*
        - AX: Contumax praeceptori.
        - EX: Supplex hosti.
        - LIS: *Ouid. 3. Trist.* Quo quisq́; est maior, magis est placabilis irae.
      - Participialia *finentia in*
        - TVS: *Virg. in Buc.* Nunc oblita mihi tot carmina.
        - DVS: *Ouid. 1. Trist.* O mihi post nullos unquam memorande sodales.

plices casus

plices casus adsciscunt, aut regunt

- Accusatiuum, *uel more*
  - Latinorum, *ut quæ significant, aut*
    - Mensuram: *ut, Altus pedem, latus manum, crassus digitum.*
    - Motum animi, *adiecto uidelicet accusatiuo* VICEM, *Liu. Sollicitis uicem imperatoris militibus. Et, Stupentes tribunos, & suam iam uicem magis anxios.*
  - Græcorum, *quod usurpant poëtæ tantùm, ut in ijs quæ significant*
    - Patriam, aut gentem. *Virg. 2. Æneid. Consertum tegmen spinis, at cætera Graius. Idem lib. 5. Olli serua datur, operum haud ignara Mineruæ, Cressa genus.*
    - Habitum animi. *Horat. Docte sermones utriusq; linguæ. Idem: Nec Mauris animum mitior anguibus.*
    - Partem corporis. *Virg. Os humerosq; Deo similis.*
- Ablatiuũ *uel in*
  - Genere, *ut cùm additur casus*
    - Totius, *uel partis. Mart. Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus.*
    - Materiæ. *Virg. Duplicẽ gẽmis auroq; poposcit, Impleuitq; mero paterã.*
    - Causæ. *Idem: Felix nati pietate.*
    - Patriæ. *ut, Achæmenides patria Ithacensis: Glycerium genere Andria.*
  - Specie, *ut quæ significant comparationẽ: item, quæ plenum aut uacuum. Sed quia id fit aut aliena potestate, quod illa sint graduum secundorum: aut non simpliciter, quòd hæc unum tantùm casum non habeant, de singulis iam in sequentibus dicemus.*

II. DE CASIBVS MVLTIPLICIBVS.

Casus multiplices sunt, *cùm unũ adiectiuũ*

- Non mutata qualitate, *cùm idem consideratur gradus, et ijdem casus manẽt propter auctori-*
  - Duo casus *adiectiuo coniungũtur diuerso tempore. Quædam enim assumunt uel*
    - Genitiuũ *et ablatiuũ, ut quæ significant uel*
      - Copiam. *Virg. Quàm diues pecoris, niuei quàm lactis abundans. Horat. Diues agris, diues positis in fœnore nummis.*
      - Inopiam: *ut, Inops consilij, & consilio inops.*
      - Absolutionem: *Insons cædis, & insons crimine cædis: Purus sceleris, & purus scelere.*
      - Damnationem: *ut, Reus capitis, & reus capite.*
    - Datiuũ *& genitiuũ, ut quæ denotãt aut*
      - Tempus. *Virg. 11. Hic annis grauis atque animi maturus Alethes. Idem 7. Iam matura uiro, iam plenis nubilis annis.*
      - Similitudinem. *Terent. in Heaut. An quia est consimilis moribus. Idem in Eunuch. Domini similis es.*
      - Affectionem. *Idem: Quàm paucos reperias meretricibus fideles euenire amatores. Virg. 12. Regina tui fidißima, dextra Occidit ipsa sua.*
      - Culpam. *Liu. 4. ab Vrbe cond. dixit, Obnoxius crimini. & lib. 6. Dec. 3. Obnoxius criminis.*
    - Accusatiuum *& ablatiuum, quæ significant magnitudinem: ut, Longus pedem, & longus pede.*
    - Ablatiuum *& genitiuũ, ut quæ significant uel*
      - Dignitatem. *Ouid. in Heroid. Simplicitas digna fauore fuit. Idem de Arte: Curia consilij quæ nunc dignißima tanti.*
      - Indignitatem. *Virg. 1. Georg. Nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro Emathiam, & latos Hæmi pinguescere campos. Idem 12. Æn. Magnorũ haud unquam indignus auorum.*
      - Alienationem. *Cic. de Pro. Cons. Alienum dignitate imperij. Idem 1. de Fin. Quis alienum putet eius dignitatis, quàm mihi quisque tribuit?*
      - Plenum. *Horat. 2. Car. Nec sæuos Lapithas, nec nimium mero Hylæum. Liu. Manlius nimius animi.*
      - Vacuum. *Ouid. 14. Metamorph. Luminis orbus Rupibus incursat. Idem in Fast. Multùm animo uidit, lumine captus erat.*

- diuersos casus regit: id quod accidit duplici modo, aut
  - tatē. nihil enim interest inter hæc, Plenus uini, & plenus uino: item, longus pedē, & longus pede. Casus nō mutatæ qualitatis sunt, aut cùm
    - Cōiungitur casus nominis cùm præpositione eodem tēpore. Quædam enim admittunt
      - Accusatiuū cum præpositione, ut quæ significant uel
        - Cupiditatem. *Terent. in Eunuch. Eius frater aliquantum ad rem auidior.*
        - Aptitudinem. *Cic. in Offic. Si quid ab homine ad nullam partem utili, utilitatis tuæ causa detraxeris, inhumanè feceris, contraq; naturæ legem. Idem Tuscul. Alius ad alium morbum procliuior, sic alius ad alia uicia propensior. Idem in Epist. Ad eius optima studia uehementer accommodatus.*
      - Ablatiuum cum præpositione, ut quæ significant uel
        - Causam: *ut, Lautus à balneis, apud Plaut. Recens à uulnere, apud Virg. Ociosus ab animo, apud Terentium.*
        - Ordinem. *Virg. Tu nunc eris alter ab illo. Ouid. Proximus à domina, nullo prohibente, sedeto.*
        - Materiam: *ut, Firmus ab equitatu, paratus à pecunia.*
    - Plures unum adiectiuum casus admittit, etiā diuersis temporibus, uel
      - Sine præpositione: *ut*
        - Sollicitus *monstrorum, Sollicitus monstris, Sollicitus uicem.*
        - Opus, *cum*
          - Nominatiuo. *Cic. ad Cur. Dux & auctor nobis opus est.*
          - Genitiuo. *Planc. ad Ciceronē: Aliquantum nobis temporis, & magni laboris, & multæ impensæ opus fuit.*
          - Accusatiuo. *Quadrigarius in Annalibus: Militibus opus sunt, ligna, aquam, pabulum. Sed hoc* τῷ ἀρχαϊσμῷ *dicitur.*
          - Ablatiuo. *Virgilius: Nunc animis opus Ænea, nunc pectore firmo. Hic autem casus maximè usitatus est.*
      - Interueniente *præpositione: ut, Vacuus curarum, uacuus curis, uacuus à curis. Ociosus animi, ociosus animum, ociosus animo, ociosus ab animo. Nullus hominum, nullus inter homines, nullus ex hominibus. Et Cic. 1. de Leg. De hominibus nulla gens est. & imitatione Græcorum, Nullus in hominibus.*
      - Casum nominis *permutant uerbo, idq; rursus aut*
        - Vsitate, *quod fit per relatiuum, & uerbum modi coniunctiui. Cic. de Leg. Qui modestè paret, uidetur, qui aliquando imperet, dignus esse.*
        - Inusitate, *quod figuratè fit, & imitatione Græcorum per uerbum modi infinitiui. Virg. in Buc. Et erat tum dignus amari: id est, qui amaretur. hoc est, ut Latini loquuntur, amore dignus.*
  - Mutata qualitate, *cùm sunt diuersi gradus, & ijdem casus non manent propter exigentiam. Adiectiua quædam casum duplicem regunt, uel*
    - Natura sua: *ut gradus primi, seu positiua.*
    - Aliena potestate, *ut graduum secundorum, comparatiua scilicet & superlatiua. Lucret. Digitum non altior unum. Iuuen. Tota cohors pede non est altior uno. primus casus communis est, alter proprius. Similiter in superlatiuis: Claud. Quem ratio, non ira mouet, Dijs proximus ille est. Terent. Orbæ qui sint genere proximi. Item Virgil. 9. Acerrimus armis Hirtacides. Catul. in Epigr. Disertissime Romuli nepotum. Sed de comparatiuis & superlatiuis dicendi tempus nunc oblatum est.*

II. DE ADIECTIVIS GRADVVM SECVNDORVM.

Adiectiua graduū secūdorū, aut sunt

- Comparatiua, eaq; assumunt ablatiuum uel
  - Simplicē. Iuuenalis Sat. 13. Non debet dolor esse uiri flagrantior æquo.
  - Duplicatum, alterum uidelicet personæ, alterū rei. Vt cùm dico: Hippocrate medico, & Democrito philosopho, Socrates Atheniensis natu posterior fuit.
- Superlatiua, quæ adsciscunt genitiuum, uel
  - Singularē nominis collectiui. Virgilius: ô Danaûm fortißime gentis.
  - Pluralem nominis cuiusuis. Cæs. Gallorum omniū fortißimi Belgæ. Tibul. Vnda sub æstiuū non adeunda canem: Nunc autem sacris Baiarū maxima lymphis.

¶ Obseruādum est, eiusmodi adiectiuorum casus certis particulis aut circumscribi, aut intēdi, ut

- Comparatiuorum
  - Circumscriptio fit, uel
    - Cùm gradus tantùm mutatur per particulas proprias, manente ablatiuo. Terent. in Eunuch. Hoc nemo fuit minus ineptus, magis seuerus quisquam, nec magis continens.
    - Cùm casus mutatur, ablatiuus scilicet in nominatiuū, per particulam QVAM. Cic. in Off. Nihil est amabilius aut copulatius, quàm morum similitudo bonorum.
    - Cùm simul & casus mutatur, & gradus per particulas TAM & QVAM. Idem in Læl. Nihil est tam aptum, tam conueniens ad res uel secundas uel aduersas, quàm amicitia.
  - Intensio fit aut per particulas
    - Relatiuas: quales sunt, Eô, Quô, Tantò, Quantò.
    - Explicatiuas: ut, Multò, longè, & earum uim habentes. Vt apud Virg. 1. Æneid. Scelere ante alios immanior omnes.
- Superlatiuorum
  - Circumscriptio fit aut per
    - Particulas proprias, cū circūloquimur gradū uel
      - Existentem. Cic. 3. de Offic. Est hominum naturæ maximè inimica crudelitas.
      - Non existentem. Idem ad Lentulum, Nactusq; tempus hoc magis idoneum, quàm unquam antea. Et 3. de Orat. Gustatus, qui est sensus ex omnibus maximè uoluptuarius.
    - Præpositiones, cum circūloquimur casum. Eiusmodi præpositiones sunt quatuor:
      - Ante. Virg. 7. Ante alios pulcherrimus omnes Turnus.
      - Inter. Ouid. in Heroid. Inter Achæidas longè pulcherrima matres.
      - Ex. Cic. 3. de Orat. Acerrimum ex omnibus nostris sensibus, esse sensum uidendi.
      - In. Virg. 2. Æneid. Iustißimus unus Qui fuit in Teucris.
  - Intensio fit per aduerbia, quæ aut
    - Separantur: ut, Multò, longè, facilè.
    - Non separantur: ut, Quàm, quammaximus, quamdoctißimus.

¶ Discernuntur autem facilè casus positionis & comparationis, cùm simul ponūtur in una sententia. Cicero Trebatio: Nec mihi amicior P. Silio quisquam est. Datiuus MIHI est casus positiui: ablatiuus SILIO, casus comparatiui. Ouidius tertio Trist. Nobis usu sanctißime longo.

DE PRONOMINE.

Pronomina *significationem habent, uel*

- Simplicem, *ut quæ ponuntur aut*
  - Substantiue, *tum more nominis substantiui construuntur, uel*
    - Eodem casu. *Virg. Tune ille Aeneas? Terent. Hau obsecro mea Pythias.*
    - Casu diuerso. *Virgil. Tu mihi quodcunque hoc regni est, tu sceptra Iouemq; Concilias. Terent. Quod isthic nam monstri est? Hoc fieri imitatione Atticorum, suprà annotatum est.*
  - Adiectiue, *tum more adiectiuorum in genere, numero, & casu, cum substantiuo cohærent: ut, Habet sua castra Cupido. Trahit sua quemque uoluptas. Sors est sua cuique ferenda.*
- Non simplicem, *uidelicet uel*
  - Passiuam: *ut isti genitiui, Mei, Tui, Sui, Nostri, Vestri, ea adduntur substantiuis affectionum, quorum significatio per resolutionem intelligitur. Virgilius duodecimo Aeneidos: Victus amore tui, cognato sanguine uictus. id est, amore quo à me tu coleris. Cic. pro Rabirio: Tib. Gracchus magnum desiderium sui reliquit apud populum Romanum. id est, quo ipse desideratur à populo Romano.*
  - Possessiuam, *eaq; admittunt genitiuum uel*
    - Sui possessoris. *Ouid. in Heroid. Et flecti, & nostros uidisti flentis ocellos. Horat. in Ser. Cùm mea nemo Scripta legat, uulgò recitare timentis.*
    - Aliorum pronominum, *Istius, Ipsius: quod fit in certis quibusdã possessiuis, qualia sunt, Mea, Tua, Sua: Nostra, Vestra.*
    - Certorum nominum, *quantitatem significantium: ut, Vnius, solius: duorum, plurium: paucorum, omnium. Vt cùm dico, Mea unius factum opera. item, Tua solius effectum industria. Cic. de Orat. Qui uestris paucorum respondeat laudibus.*
  - Reciprocam, *eaq; respondent uerbo tertiæ personæ, & in eandem sensum retorquẽt atque referunt, uel in*
    - Vno membro. *Cic. 1. de Off. Expendere oportebit, quid quisque habeat sui: id enim maximè decet, quod est cuiusque suum maximè. Publ. Amans iratus multa mentitur sibi.*
    - Duobus membris. *Cic. 1. de Legib. Amicitiæ est ea uis, ut simulatque sibi aliquid, quàm alteri, maluerit, nulla sit. Terẽt. in Eunuch. Orare iussit, si se ames, hera, iam ad sese uenias.*

DE VERBO.

GENERALIS DIVISIO EXIGENTIÆ VERBORVM OMNIVM.

- **VERBA** *omnia discernuntur, ut in Etymologia dictũ est, uel natura, uel qualita-*
  - Personalia finita, *quorum casus aut sunt*
    - Antecedentes, *qui à frõte ponũtur: ut*
      - Nominatiuus, Vocatiuus — *uerbi personalis finiti.*
      - Accusatiuus *uerbi impersonalis infiniti.*
    - Consequentes, *qui à tergo reguntur: iiq; sunt aut*
      - Communes, *qui regi à quibusuis uerbis possunt: ut,*
        - Datiuus *acquisitionis.*
        - Ablatiuus *causæ.*
      - Proprij, *qui à certis uerbis reguntur, iiq; rursus aut sunt*
        - Simplices.
        - Geminati.
        - Duplices.
          - *Qui sunt uerborũ quæ habent*
            - Vnum *casum: ut*
              - Nominatiuum.
              - Genitiuum.
              - Datiuum.
              - Accusatiuum.
              - Ablatiuum.
            - Duos casus *pares: ut*
              - Datiuum.
              - Accusatiuum.
              - Ablatiuum.
            - Duos *casus impares*
              - Genitiuũ & — Accusatiuũ. / Ablatiuum.
              - Datiuũ & — Accusatiuũ. / Ablatiuum.
              - Accusatiuũ & — Genitiuũ. / Datiuum. / Ablatiuũ.
              - Ablatiuũ & — Genitiuum. / Accusatiuũ.
            - Simplices, *diuerso tempore: eosq; rursus aut significatione*
              - Diuersa.
              - Eadẽ.
            - Genitiuus *cum* — Datiuo. / Accusatiuo.

te. Ideoq; appellantur aut

- Varij atque multiplices
  - Casus, aut
    - Connexos, qui inter se aut
      - Copulantur, uel
        - Eodem tempore: ut
          - Datiuus cum
            - Accusatiuo.
            - Ablatiuo.
          - Accusatiuus cum
            - Genitiuo.
            - Datiuo.
            - Ablatiuo.
        - Diuersis temporibus, cùm alter casus uariatur aliqua præpositione.
      - Permutātur, quales sunt
        - Datiuus & accusatiuus.
        - Accusatiuus &
          - Genitiuus.
          - Ablatiuus.
- Impersonalia infinita, eaq; carent aut personis
  - Omnibus, ut uerba modi infinitiui. Quorum regulæ sunt aut
    - Generales, quæ habent casus communes.
    - Speciales, quæ habent constructionem propriam.
  - Certis tantùm, eaq; aut sunt uocis
    - Actiuæ, quæ regunt uel
      - Casum unum & simplicem: ut
        - Genitiuum.
        - Datiuum.
        - Accusatiuum.
      - Casus plures: ut
        - Genitiuum & ablatiuum.
        - Accusatiuum & genitiuum.
      - Geminatos, ut quæ accusatiuum personæ & rei.
    - Passiuæ, quæ ponuntur aut
      - Absolutè, cùm nullum casum habent.
      - Casus uerborum personalium admittunt.

I.
DE CASIBVS PROPRIIS ANTECEDENTIBVS VERBORVM PERSONALIVM.

- **Casus antece-** [dentes]
  - **Nominatiuus** *uerbi personalis finiti. Nominatiuus præcedit uerbũ personale finitum, simili numero & persona. Prop. Lethũ non omnia finit. Seneca: Fraus sublimi regnat in aula. Idem: Aurea rũpunt tecta quietem. Hæc regula habet*
    - **Vnam obseruationem.** *Interdũ enim nominatiuus antecedens*
      - **Geminatur,** κατ' ἐπεξήγησιν. *Virg. Formosum pastor Corydõ ardebat Alexin.*
      - **Omittitur,** κατ' ἔλλειψιν, *quod ferè in pronominibus accidit. Virg. Moriamur, et in media arma ruamus. Deest, nos. Ouid. Perfer & obdura. Deest, tu. Terent. Ita prædicant. Deest, homines.*
      - **Subintelligitur,** καθ' ὑπόνοιαν, *ut in uerbis quæ exemptæ actionis uocantur: ut, Tonat, fulgurat, pluit, ningit. Subintelligitur, Iupiter. Terent. in Heau. Lucescit hoc iam. Deest, cœlum.*
      - **Circumscribitur,** κατὰ περίφρασιν, *cùm tota oratio uice nominatiui ponitur. Ouid. In facili est omnia posse Deo. Idem: Non facile est æqua commoda mente pati. Idem: Heu quàm difficile est crimen non prodere uultu.*
    - **Triplicem exceptionem.** *Interdum enim mutatur*
      - **Numerus:** *id solet fieri dupli ci ratione. Aut enim*
        - **Præcedit**
          - **Vnum** *nomen singulare nominis collectiui, cui uerbum additur plurale,* κατὰ σύνθεσιν. *Virg. Pars in gramineis exercẽt membra palæstris, Contendunt ludo.*
          - **Duo** *pluráue singularia, quibus respondet uerbum plurale,* κατὰ σύλληψιν. *Idem: Furor iraq; mentem Præcipitant. Ouid. Nox & amor, uinumq;, nihil moderabile suadent.*
          - **Singularia** *& pluralia simul coniuncta* κατὰ ζεῦγμα. *Virg. Semper honos, nomẽq; tuum, laudesq; manebunt.*
        - **Contrà præcedit**
          - **Vnum** *nomen plurale, & uerbum sequitur singulare,* τεχνικῶς ἢ ἐναλλακτικῶς. *ut: Vxor, et insidiæ sunt pudor ille meæ. pro, ille pudor est. Item: Amantium iræ, amoris integratio est. pro, iræ sunt.*
          - **Duo** *præcedunt nomina, unum plurale, alterum singulare, quibus respondet uerbum singulare* συλληπτικῶς. *Virg. Hîc illius arma, hîc currus fuit.*
      - **Persona,** *cùm plurale uerbum personæ primæ antecedũt nominatiui uel*
        - **Vnius** *personæ, per Euocationem. Plaut. Tum deniq; homines nostra intelligimus bona, cùm quæ in potestate habuimus, ea amisimus.*
        - **Diuersarum** *personarum, per syllepsin, cùm respondet personæ digniori: prima autem persona dignior est secunda & tertia, secunda etiam dignior tertia. Plaut. Tu me, et ego te qualis sis scio. Virg. Diuellimur inde Iphitus & Pelias mecum. Cicero ad Terent. Si tu & Tullia lux nostra ualetis, ego & suauißimus Cicero ualemus.*

dẽtes sunt tres:

Vtrunque, cùm duæ figuræ cócurrũt: ut cùm

- Nomen singulare personæ tertiæ, adiungitur uerbo plurali personæ primæ aut secundæ, per synthesin & euocationem. Ouid. In magnis læsi rebus uterq; sumus. Tibul. Ibitis Aegæas sine me Messala per undas.
- Nomina singularia primæ tertiæq; personæ, adduntur uerbo plurali respondenti personæ digniori: hoc est, primæ, per prolepsin & syllepsin. Terent. Ego uapulando, ille uerberando, usque ambo defessi sumus.

Vocatiuus uerbi personalis finiti. Vocatiuus præcedit uerbum finitum, personæ secundæ, modi imperatiui, simili numero: idq; fit aut

- Expressè, cùm uerbum adijcitur. Virg. Disce puer uirtutem ex me, uerumq; laborem. Silius: Perge age, uince omnem miles uirtute dolorem.
- Implicitè, uel cùm
  - Particula uocandi additur, uerbum omittitur. Virg. O' felix una ante alias Priame ia uirgo. Idem: O' uerè Phrygiæ, neque enim Phryges.
  - Omittitur utrunq;, uerbum cum particula. Idem: Nate Dea, quò fata trahunt, retrahuntq;, sequamur.

¶ Huc pertinent nomina quædam uocatiuis carentia, quæ tertiam personam secunda more uocatiui commutant. Qualia sunt

- Aliquis. Virg. Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor.
- Quilibet. Ouid. Quilibet huc dixit, confuge, tutus eris.
- Item pronomen Ille. Tibull. Iam mihi libertas illa paterna uale.

Accusatiuus uerbi impersonalis infiniti. Accusatiuus præcedit uerbum modi infinitiui, qui nominatiui loco ponitur, quia per eundem resolui potest. Ouid. Turpe sequi casum, & fortunæ cedere amicum. Terent. Non'ne flagitium est, te alijs consilium dare, foris sapere: tibi te non posse auxiliarier?

II.
DE CASIBVS VERBORVM PERSONALIVM CONSEQVENTIBVS.

I.
DE CASIBVS A' TERGO COMMVNIBVS.

Casus à tergo communes sunt

- Datiuus acquisitionis. Quodlibet uerbum, cui qualicunque modo aliquid acquiritur uel adimitur, admittit datiuum
  - Personæ. Cic. pro Fonteio: Si qui ob emolumentum suum cupidius aliquid dicere uidentur, ijs credere non conuenit.
  - Rei. Claudianus: Desinat elatis quisquam confidere rebus.
- Ablatiuus causæ. Verba admittunt ablatiuum, quæ significant
  - Causam. Ouid. Luxuriant animi rebus plerunq; secundis.
  - Instrumentum. Horat. Naturam expellas furca, tamen usq; recurret.
  - Modum actionis. Virg. Ille Sichæum, Impius, ante aras, atque auri cæcus amore, Clàm, ferro, incautum superat.

II.
DE CASIBVS A TERGO PROPRIIS.

I.
DE CASIBVS SIMPLICIBVS.

DE NOMINATIVO.

Nominatiuus est casus uerborũ proprius: de quo hæ tenendæ sunt regulæ:

- Verba substantiua, qualia sunt Sũ, Fio, Forem, Existo, præcedunt & sequuntur nominatiui. ut: Casta Deus mens est, casta uult mente uocari. Et: Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt, Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus. Interdum autem
  - Nominatiuus casus circumscribitur per uerbũ modi infinitiui, uel
    - Antecedens. Ouid. Est uirtus placitis abstinuisse bonis. id est, Abstinentia est uirtus.
    - Consequens. Horat. Virtus est, uitium fugere: & sapientia prima, Stulticia caruisse. id est, Virtus est fuga uitiorum: Sapientia est uacuitas stultitiæ.
    - Vterque simul. Pub. Fœminæ naturam regere, desperare est omnium. id est, Imperium in fœminam maxima est desperatio. Valerius: Fabij non dimicare, uincere est. id est, cunctatio Fabij est uictoria.
  - In casu consequente genus mutatur, ut priori non respondeat. Rectè enim ab Horatio dicitur: Mors ultima linea rerum. nec minus bene à Cicerone: Omnium rerum mors est extremum. Hoc autem fit, cùm casus consequens uel
    - Explicationis loco additur: ut, Homo est animal, Serra est instrumentum.
    - Non ad uerba, sed ad sententiam refertur: ut, Homo nata fuerat: Fœdum est Turcarum tyrannis.
  - Verbum ipsum substãtiuum omittitur: ut, Sæpe acri potior prudentia dextra. deest, est.
- Verba substantiuorum uim habentia, constructionem sequuntur substantiuorum: qualia sunt
  - Dicor, Appellor, Nominor.
  - Nuncupor, Vocor, Habeor.
  - Videor, Numeror, Iudicor, & similia. ut, Deiotarus socius & amicus Pop. Rom. est habitus: Herodes ab Antonio & Augusto rex Iudææ appellatus.
- Verba habituum eodem modo præcedunt & sequũtur nominatiui: cuiusmodi sunt quæ motum, statum, situm, gestum'ue significant. In quibus aut præcedens nominatiuus
  - Omittitur, ut in his: Virg. Viuite felices, quibus est fortuna peracta. deest, uos. Manil. Nascentes morimur, finisq́; ab origine pendet. deest, nos.
  - Additur, ut in his
    - Homo incedit erectus.
    - Cyclops iacet supinus.
    - Prodigus uiuit securus.
    - Viator proficiscitur armatus.

DE GENITIVO.

- **Genitiuus** est casus uerborũ proprius: eũ regũt uerba uel
  - **Certæ significationis.** In his uerbis ipsa significatio parit casuum uarietatem. Genitiuum enim esse necesse est aut
    - **Personæ.** nam si est genitiuus rei, potest transire in ablatiuum: ut in uerbis quæ significant
      - **Memoriam:** ut cùm dicimus, Iucundum est meminisse præteritorum malorum.
      - **Obliuionem.** Cic. ad Lent. Non potui magis obliuisci temporum, & meminisse actionum. * Memini huius rei, & memini hanc rem, dicere utrunq; possumus. Dicere non possumus, Memini illum, sed Memini illius.
    - **Speciei.** nam si generis est, eodẽ modo ablatiuo uariari potest. ut in uerbis quæ denotant
      - **Accusationem.** Cic. in Verrinis: Apud Caium Sacerdotem rei capitalis accusatus.
      - **Damnationem.** Idem: Sceleris cõdemnat generũ suum.
      - **Absolutionem.** Idem: Non tu absolutus es improbitatis, sed ille damnatus est cædis.
    - **Quantitatis,** & præterea nominis adiectiui. nã si substantiuum additur, genitiuus in ablatiuum mutatur. Hoc fit in uerbis quæ significant
      - **Emptionem.** Iuuenal. Magis illa iuuant, quæ pluris emuntur.
      - **Venditionem.** Cic. in Off. Vendo meum, non pluris quàm cæteri, fortasse etiam minoris.
      - **Aestimationem.** Ouid. Pluris opes nunc sunt, quàm prisci temporis annis. Genitiui autem isti aut sunt
        - **Quãtitatis:** ut, Magni, parui.
        - **Aestimationis:** ut, Pluris, maioris, maximi, minoris, minimi, nihili.
        - **Comparationis:** ut, Tanti, quanti, tãtiuis, quantiuis, tantidem, quantilibet, quanticunque.
        - **Qualitatis:** ut, Æqui boniq;.
    - **Materiæ,** quales sunt, Nauci, flocci, pili, aßis, teruncij, ut in ijsdem uerbis æstimationẽ significantibus. Catull. Omnes unius æstimemus aßis. Plaut. Ridiculos iam teruncij non faciunt. Terent. Illi inuidere, ego flocci pendere.
    - **Loci,** quales sunt Humi, militiæ, belli, domi. Virg. Nec prius absistit quàm septem ingentia uictor Corpora fundat humi. Terent. Vnà semper militiæ & domi fuimus.
  - **Certæ qualitatis:** ut uerbum substantiuum SVM, quod significat aut
    - **Possesionem.** ut: Chærea quam habet in domo Thaidis, Dori uestis est.
    - **Officium.** Cic in Philipp. Est sapientis, quicquid homini accidere poßit, id præmeditari. Idem de Orat. Clamare contrà quàm deceat hominis est impudentis.
    - **Habitum.** Idem ad Qu. Fr. Cato adolescens est nullius consilij.
  - **Certi usus,** quod fit imitatione Græcorum, ut in uerbis
    - **Prohibendi,** τοῦ κωλύειν. Silius: Nanque necis certus, captæ prohibere nequiret Cùm Pœnos aquilæ.
    - **Abstinendi,** τοῦ ἀπέχειν. Horat. abstineto Dixit irarum calidæq; rixæ.
    - **Desinendi,** τοῦ λήγειν. Virg. Tempus desistere pugnæ.
    - **Sentiendi,** τοῦ αἰσθάνεσθαι. Horat. Dulci laborum decipitur sono. Silius, Laudande laborum Quisquis es.
    - **Admirandi,** τοῦ θαυμάζειν. Virg. Iusticiǽ ne prius mirer, belli ne laborum?
    - **Imperandi,** τοῦ ἄρχειν. Horat. Daunus agrestium Regnauit populorum.
    - **Implendi,** τοῦ ἐμπλήθειν. Silius: Atque urbem complet mœsti clamoris.

DE DATIVO.

Datiuus est casus uerborũ proprius, quę regũt uerba uel

- **Vsitatè, ut quæ sunt uel**
  - **Certæ significationis, ut uerbũ substãtiuũ SVM, uel cum denotat**
    - **Possessionem.** Virg. 1. Æn. *Sunt mihi bis septẽ præstanti corpore Nymphæ.* Ouid. in Heroid. *Est tibi, sitq́; (precor) natus, qui mollibus annis, In patrias artes erudiendus erat.*
    - **Aequalitatem.** Liu. *Diuites conferrent, qui oneri ferundo essent.* Idẽ: *Deûm benignitate rempub. gratiæ referendæ esse.*
  - **Certi usus, ut infinitiuus uerbi**
    - **Fieri.** Horat. Serm. 1. Sat. 6. *Quô tibi Tulli Sumere depositũ clauum, fieriq́; Tribuno Inuidia accreuit?*
    - **Esse, uel cùm**
      - **Additur** *uerbis personæ tertiæ facultatem significantibus, qualia sunt*
        - **Prodest.** Ouid. 8. Met. *Nec fortibus illhic Profuit armentis, nec equis uelocibus esse.*
        - **Dat.** Idem ibidem: *Vobis immunibus huius Esse mali dabitur.*
        - **Licet.** Idem 2 de Pont. *Vrbe licet uestra uersibus esse meis.*
      - **Secum** *ipsum construitur:* ut Idem 5. Trist. *Esse bono facile est, ubi quod uetat esse, remotum est.*
    - ¶ *Interdum datiuus mutatur in accusatiuum.* Idem 3. Trist. *In causa facili quemuis licet esse disertum.*
  - **Certæ compositionis,** *ut uerba omnia quæ cum præpositionibus componuntur: quorum recensere exempla, foret prolixum.* Diximus autem suprà, Datiuum esse communem uerborum omnium.
- **Minus usitatè,** *consuetudine & imitatione Græcorum. idq́; aut*
  - **Simpliciter,** *nulla mutatione figuræ, ut sunt uerba*
    - **Pugnandi,** τοῦ μάχεσθαι. Virg. 12. *Mihi ius concurrere soli.*
    - **Sequendi,** τοῦ ἕπεσθαι. Plaut. in Amph. *Ita Dijs placitum, uoluptati ut mœror comes sequatur.*
    - **Precandi,** τοῦ εὔχεσθαι. Virg. 8. *Cui me fortuna precari, Et uitta comptos uoluit prætendere ramos.*
  - **Figuratè,** κατ' ἐξαλλαγήν, *cùm datiuus ponitur aut loco*
    - **Accusatiui.** Virg. 6. Æn. *Stãt terræ defixæ hastæ.* id est, in terram defixæ. Ouid. 5. Met. *Procubuit terræ mactati more iuuenci.* id est, in terram procubuit.
    - **Ablatiui.** Virg. 7. Ecl. *Solstitium pecori defendite, iam uenit æstas.* id est, à pecore defendite. Ouid. 1. Trist. *Nec noscitur ulli Agminibus comitũ, qui modò cinctus erat.* id est, noscitur ab ullo.

DE ACCVSATIVO.

Accusatiuus, est casus uerborum proprius. Eum regunt uerba uel

- **In genere** actiua uniuersa, non solùm quæ terminatione actiua sunt, uerumetiam quæ significatione. Cic in Philipp. Violare amicitiam grauißimum crimen iudico. Stat. Nec tu diuinam Aeneida tenta, Sed longè sequere. Cic. Cœlio: Potentißimorum uirorum exemplo, qui omnes Caßios Antoniosq; complexi sunt.
- **In specie** certa quædam uerba, quorum Accusatiuus uel propter significationẽ, uel propter usum, communis nõ est, ut neutrorũ & paßiuorum: idq; accidit rursus aut
  - **Vsitatè**, ut cùm
    - **Neutris** additur accusatiuus, uel
      - **Eiusdem speciei**, more Atticorũ. ut: Iurare iusiurandum, Ludere lusum, Seruire seruitutem.
      - **Significationis cognatæ.** Horat. Ire uiam, quam monstrat eques. Virg. Gens inimica mihi, Tyrrhenum nauigat æquor. Cicer. 3. Off. Qui stadium currit, eniti & contendere debet, quàm maximè poßit, ut uincat.
      - **Qualitatis non alienæ.** Prop. Lynceus ipse meus seros insanit amores. Horat. Sulcos & uineta crepat mera. Catull. Sæuaq; abhorrentes prisci præcepta parentis. Iuuenal. Qui Curios simulant, & bacchanalia uiuunt.
    - **Paßiuis** et neutris addũtur accusatiui certorum nominũ: ut
      - **Vicem.** Cic. Lent. Vltus est ipse uicem suã per sese. Liu. Remittimus hoc tibi, ne uicem nostram irascaris.
      - **Partem.** Cic. Pæto: Mihi licere arbitrabar res has non omnino quidem, sed magnam partem relinquere. Lucr. lib. 3. Hæc uulnera uitæ Non minimam partem mortis formidine aluntur.
    - **Actiuis**, eorumq; uim habentibus additur accusatiuus motum significãs ad locum minorem. Ouid. Atq; aliquis, doctas iamnunc eat, inquit, Athenas. Nam illud Propertij poëticum est: Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas. Quòd si locus maior significatur, additur præpositio. Virg. Ilium in Italiam portans, uictosq; penates. Nam & illud eiusdem poëticum est: Italiam fato profugus, Lauinaq; uenit Littora.
  - **Inusitatè**, quod fit aut
    - **Poëticè**, ut cùm uerba neutra loco actiuorum ponuntur. Virg. Marti currumq; rotasq; uolucres Instabant. id est, instando perficiebant. Tibull. Fontibus ut dulces erumpat terra liquores. id est, erumpendo emittat.
    - **Figuratè**, ut cum uerbis paßiuis additur accusatiuus, uel alicuius
      - **Affectus animi.** Virg. 4. Aen. Expleri mentem nequit, ardescitq; tuendo. Ouid. 2. Fast. Carpitur attonitos absentis imagine sensus.
      - **Partis corporis.** Virg. Illi ad surgentem conuersi lumina solem. Ouid. Asper equus duris contunditur ora lupatis. Hanc figuram Grammatici συνεκδοχὴν uocant.
    - **More Græcorũ**, ut cùm
      - **Neutra** paßiuaq; ui præpositionis cum qua componũtur, accusatiuũ admittunt. Ouid. 4. Met. Despectat terras, totumq; superuolat orbem. id est, uolat super orbẽ. Idem 2. Populos alij plebemq; pererrant. id est, errant per plebem. Simili modo idem 4. Dextris adducor littora remis. id est, ducor ad littora. Et 2. Scythicas aduertitur oras. id est, uertitur ad oras.
      - **Neutra** pro actiuis ponũtur: & accusatiuus aduerbij naturã induit. ut, Horrendũ clamat: et, Toruà tuetur.

DE ABLATIVO.

Ablatiuus est casus uerborū proprius: eum regunt uerba uel

- Simpliciter, *ut quæ sunt uel*
  - Certæ significationis, *ut sunt uerba*
    - Affectuum. *Ennius: Cui quod agat, institutum est, nullo negotio id agit. Teren. Vt malis gaudeant, atq; ex incōmodis aliorū sua comparent ut cōmoda.*
    - Copiæ seu inopiæ. *Cic. Vacare culpa magnum est solatium. Sallust. Etiam' ne aures nostras onerabis tuo odio?*
    - Comparationis. *Cic. In Hortensij sententiā multis partibus plures ituros. Ita dicimus, Multis parasangis illum præcurrit.*
  - Certi generis, *ut illa deponentia cū suis compositis*
    - *Dignor, Fungor, Fruor, Frustror, Glorior.*
    - *Lætor, Potior, Vescor, Vtor.*
    - *Virg. Haud equidem tali me dignor honore. Cic. In sensibus hæc est sua cuiusque uirtus, ut ne quis impediat, quo minus suo quisque sensus munere fungatur. Ouid. Ocia corpus alunt, animus quoq; pascitur illis.*
  - Certæ qualitatis, *ut in uerbis*
    - Iudiciorū: *qualia sunt*
      - Accusandi, Damnandi, Absoluēdi, — *Si casus sequens generis, seu communionis uocabuli est.*
      - *Cic. Gabinij literas insigni quadam nota & ignominia condemnâstis. Ita dicimus, Absolutus crimine cædis. Nam si species ponitur, solet genitiuus adiungi: ut, Absolutus cædis.*
    - Precij, *qualia sunt*
      - Emendi, Vendendi, Aestimādi, — *Si casus est nominis substantiui.*
      - *Vt: Emit caro, uendit uili. Martial. Paruo cùm precio diu liceat. Nam si casus est nominis adiectiui, in genitiuo ponitur, ut suprà demonstratum est.*
  - Certæ compositionis *propter præpositionem, quæ poëticè adimitur suo casui, & adiungitur uerbo. Virg. Omnibus idem animus scelerata excedere terra. Ouid. Quæ si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.*
- Cū præpositione: *ut ea quæ sunt uel*
  - Certæ significationis, *ut sunt uerba*
    - Pugnandi. *Cic. pro Balbo: Cum hoste cominus in acie sæpe pugnaui.*
    - Liberandi. *Idem de Vniuers. Deus motum cœli ab omni erratione liberauit.*
    - Abstinendi. *Liu. Ab uno eo ferrū ignēq; & uim omnē hostiū abstinere iussit.*
    - Accipiendi. *Terent. in Adelph. Abs quiuis homine, cùm est opus beneficium accipere, gaudeas. Et horum uim aut similitudinem habentia.*
  - Certi generis, *ut passiua, & eorum uim habentia. Horat. Laudatur ab his, culpatur ab illis. Quintil. Fabricius respondet, se à ciue spoliari malle, quàm ab hoste uenire.*
  - Certæ qualitatis, *ut cùm nomina significant*
    - Locum maiorem: *ut cùm dico, Fui in Italia, uixi in ocio, redij cum exercitu. Nam locum minorem significantibus non additur præpositio: ut, Negociatur Patris. Tacitis regnauit Amyclis. Heri rure huc redijt.*
    - *Dißimulatur etiam interdum præpositio in alijs quoq;, more poëtarum. Virg. Durate, & uosmet rebus seruate secundis. Sil. Et pace & bello cunctis stat terminus æui.*
    - Tempus. *Terent. In tempore ad eam ueni, quod rerum omnium est primum. Iuuenal. Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones.*
    - Distantiam. *Ouid. Millia qui nouies distat ab urbe decem.*
  - Certæ compositionis, *ut cùm præpositio cū qua uerbū est compositum, repetitur:*
    - A. *Ouid. Adde, quòd insidiæ sacris à uatibus absunt.*
    - CVM. *Cic. Cum ipsa Repub. quasi collocutus sum.*
    - DE. *Idem: Non ut aliquid de illa commendatione diminuam.*
    - EX. *Idem: Ne tibi exire ex urbe sit necesse.*
    - IN. *Idem: In oratore perfecto inest omnis philosophorum scientia.*
    - PRO. *Idem: Cùm equestris ordinis princeps esset, proq; mea salute acerrimè propugnaret.*

II.
DE CASIBVS GEMINATIS.

Geminati *casus sũt, cùm unũ uerbum duos casus pares admittit:ut geminum*

- **Datiuum,** *quorum alter significat*
  - **Personam** *ut cùm dico, Lenocinium est Sannioni lucro. Turpilius in Demiurgo: Odio ac senio mihi hæ sunt nuptiæ.*
  - **Emolumentum** *uel detrimentum:ut, Victoria est Camillo inuidiæ.* Terent. in Adel. *Vtrum studióne id sibi habet, an laudi putat fore, si perdiderit gnatum?*
  - *Interdũ casus prior mutatur* τῷ ἀρχαϊσμῷ. *Terẽt. in Hec. Nos omnes (quibus est alicũde aliquis obiectus labor, omne quod est interea tempus, priusquã id rescitũ est) lucro est. Obsoletus sermo est dicere, Est me lucro.*
  - *Interdum casus posterior,* τῇ ἐναλλαγῇ. *Ouid. 4. Tristium: Quò uereare minus, ne sim tibi crimen amice. Simplex enim fuisset & usitatum, Ne sim tibi crimini. Propert. 3. Gloria Lysippo est animosa effingere signa. pro, Lysippo est gloriæ.*
- **Accusatiuum,** *idq; quadruplici ratione. aut enim accusatiuus*
  - **Vterque** *personæ est.* Terent. *Facio te apud illum Deum. Et: Abi, uirum te indico.*
  - **Vterque** *rei est.* Fabius: *Mollis illa educatio, quam indulgentiam uocamus, neruos omnes & mentis & corporis frangit.*
  - **Alter** *personæ est, alter rei: idq; aut fit*
    - **Vsitatè,** κοινῶς, *ut in uerbis certis: qualia sunt,* Cælo, Doceo, Flagito, Moneo, Oro, Posco, Rogo: *& eorum composita,* Edoceo, Efflagito, Admoneo, Exoro, Deposco, Interrogo. Terent. *in Adel. Ea ne me cælet, consuefeci filiũ.* Cic. in Tusc. *Socrates pusionẽ quendam interrogat, quædam Geometrica.*
      - **Quædam** *uerba mutant,*
        - **Accusatiuũ** *personæ in ablatiuũ cũ præpositione: ut, Peto à te hanc rem.*
        - **Accusatiuũ** *rei in ablatiuũ sine præpositione: ut, Consulo te de hac re.*
        - *Vetustißimi autem dixerunt, Peto te hanc rem: Et, consulo te hanc rem. Ad primum quoque uerbum omisso accusatiuo personæ, geminum addit accusatiuum rei, per appositionẽ. Ouid. 1. Met. Petit hanc Saturnia munus.*
    - **Minus usitatè,** ἀρχαίως, *cùm alter accusatiuus ponitur loco aut*
      - **Genitiui.** Terent. *in Hec. Quod me accusat nũc uir, sum extra noxam. Hic accusatiuus rei, loco genitiui: id est, Cuius me accusat.*
      - **Datiui.** Plaut. in Trin. *Hisce ego te artibus gratiã facio, neu colas, neu imbuas ingeniũ. Hic accusatiuus personæ, loco datiui: id est, facio tibi gratiam.*
  - **Alter** *personæ, alter loci: ut, Refero me domum, recipio me rus.* Tibullus 1. *Non agnam ue sinum pigeat, fœtum ue capellæ Desertum, oblita matre referre domum.*
- **Ablatiuũ,** *quorũ uterque necessariò significat aut*
  - **Personam:** *sed in primo consideratur substantia, in altero accidens.* Terent. in Adel. *Me impulsore hanc emptam esse dicebat.*
  - **Rem:** *sed in primo materia, in altero denotatur habitus.* Virg. 3. Æneid. *Dentibus infrendens, gemitu.*

III.

DE CASIBVS DVPLICIBVS.

Casus duplices sunt, cùm uerbum unũ duos admittit, sed impares. In his casibus obseruandum, qui adhuc in uulgato usu sint: & qui uel tãtùm à ueteribus, uel solummodo à poëtis, uel rarò etiam ab oratoribus sint usurpati. Regunt igitur uerba quædam, uel

- Genitiuum &
  - Accusatiuum: ut,
    - Memini. Virg. Nec memini ueterũ laborue malorum. Idem: Forsan & hæc olim meminisse iuuabit.
    - Obliuiscor. Virg. Oblitos famæ melioris amantes. Idem: Amissos hinc iam obliuiscere Graios.
  - Ablatiuum: ut,
    - Aestimo. Cic. de Fin. Næ ego istam gloriosam uirtutem non magni æstimandam putem. Sen. Data magnò æstimas, accepta paruò.
    - Damno: ut, Damnatus capitis & capite.
- Datiuum &
  - Accusatiuũ: ut,
    - Ignosco. Cic. Pul. Noli ignoscere hæsitationi meæ. Plaut. Amph. Orant, ignoscamus peccatum suum.
    - Præsto. Teren. Homo homini quid præstat? Varro: Qui primus in alterutra re præstat alios.
  - Ablatiuum: ut, Fido. Virg. 9. Sed celerare fugam in siluas, & fidere nocti. Idem 6. Moliri iam tecta uidet, iam fidere terra.
- Accusatiuum &
  - Genitiuum: ut,
    - Vereor. Pub. Legem nocens ueretur, fortunã innocens. Afran. Optandum uxorem, quæ uereatur uiri.
    - Fastidio. Virg. Si te hic fastidit Alexis. Plaut. in Aul. Abijt, nec me certiorem fecit, fastidit mei.
  - Datiuum: ut,
    - Moderor. Ouid. 6. Met. Auroq; graues moderantur habenas. Horat. 1. Epist. Qui non moderabitur iræ Infectum uolet esse, dolor quod suaserit, aut mens.
    - Illudo. Virg. 9. Æn. I, uerbis uirtutem illude superbis. Idem 2. Certant illudere capto.
  - Ablatiuum, ut sunt ea uerba quæ significant
    - Mensuram. Cic. Catoni: Cùm abessem ab Amano iter unius diei. Virg. 9. Nec longis inter se passibus absunt.
    - Tempus. Virg. 1. Æn. Hîc iam tercentum totos regnabitur annos. Idem 1. Ecloga: Hîc tamen hac mecum poteris requiescere nocte.
    - Spacium. Cæsar 2. bell. Gall. Tantũ uirtute præstiterunt, ut cùm primi eorum cecidissent, proximi iacentibus insisterent. Virg. 6. Nulli fas casto sceleratum insistere limen.
- Ablatiuum &
  - Genitiuum: ut,
    - Angor. Cic. in Off. Dionysius maximo cruciatu timoris angi solitus. Apollinaris: Animi sese angebat, facti pœnitens.
    - Compleo. Virg. Vterumq; armato milite complent. Plaut. Erroris ambo ego illos & dementiæ complebo.
    - Egeo. Horat. Non eget Mauri iaculis, nec arcu. Idem: Eget æris Cappadocum rex.
  - Accusatiuum: ut,
    - Interdico: ut, Interdico domo: & interdico domum.
    - Ludo: ut, Ludo alea, & ludo aleam. Huc pertinent antiqua illa: Olet unguento &, olet unguenta. Item, Functus est officio: &, Functus est officium. Virg. 8. Vescitur Æneas simul & Troiana iuuentus, Perpetui tergo bouis. Accius Atreo: Ne cum tyranno quisquam epulandi gratia Accumbat mensam, aut eandem uescatur dapem.

IIII.

DE CASIBVS MVLTIPLICIBVS.

Casus multiplices sunt, qui inter se iunguntur aut
- Ἀναλυτικῶς, qui separatim apponi uerbis solent, & alter ab altero seiungi potest.
- Συνθετικῶς, qui in cōtextu connectuntur, & singuli possunt resolui, et inuicē separari.

DE CASIBVS ANALYTICIS, SEV SEPARATIS.

Cùm uerbum unum plures quàm duos casus admittit, id fit uel significatione
- Diuersa, quæ uarietas est aut in
  - Diuersis uerbis: ut, Omnia assentari: et, Omnibus assentiri. Item, Miseror te: & misereor tui. nam Misereor tibi, non dicitur. Linacer & Cœlius exemplum Ciceronis peperàm adducunt ex secunda Tusculana. non enim legendum, Patris pestibus miserere. sed hoc modo distinguendum est atq; legendum: Illacrima patris pestibus, miserere. Sed de his agendi nunc tempus non est.
  - Eodem uerbo: Verba enim quædam pro uarietate casuum uariè significant: ut ex pluribus pauca referamus. qualia sūt
    - Consulo, cùm refertur ad
      - Personā, iungitur uel
        - Datiuo: ut, Consulo tibi. id est, do consilium.
        - Accusatiuo: ut, Cōsulo te. id est, in cōsilium adhibeo.
        - Accusatiuo et præpositioni: ut, Consulo in te. id est, cōtra te cōsilium quæro.
      - Rem, uel
        - Genitiuo: ut, Cōsulo boni. id est, in bonam partem accipio.
        - Datiuo: ut, Cōsulo honori. id est, honori prospicio.
    - Studeo, cum
      - Genitiuo aut datiuo personæ, significat faueo. Statius Synephebis: Parentem habere illepidū, in liberos difficilē, qui te nec amet, nec studeat tui. Ouid. 9. Met. Cui studeat, Deus omnis habet.
      - Datiuo aut accusatiuo rei, significat operam impendo. Cic. de Orat. Demosthenes eius ipsius artis, cui studebat, primam literam non poterat dicere. Idem in Epist. Si nihil aliud studeat, nisi id quod agit. Idem significat cū præpositione: ut apud Fabium, In aliquam rem studere. Et apud Catonem, In aliqua re studere: Poëticæ artis honos non erat, si quis in ea re studebat, aut sese ad conuiuia applicabat, grassator uocabatur.
- Eadem: in qua rursus obseruādum, quid sit usitatum, quid ab usu remotum. In usitatis spectandum est, qui casus ad rem, qui ad personam, qui ad utrunque pertineant: in remotis ab usu, obseruandum quid dicatur antiquè, quid poëticè, quid peregrinè: in utrisq; etiam præpositionum uarietas est annotanda. ut,
  - Recordor huius rei, hanc rem, de hac re: hæc omnia sunt usitata.
  - Potior regni & regno, usitata quidē sunt: sed magis tamen primo postremum. nam potior regnum, planè antiquatum est, & Comicum.
  - Abstineo iræ cum genitiuo, peregrinū est, ἀπέχω τῆς ὀργῆς: abstineo ira & ab ira, usitata sunt, & hi casus ad rem referūtur. Abstineo manū, etiam usitatè dicitur: abstineo illi & ab illo, casus sunt personæ: primus poëticus & Plautinus, alter usitatus.

¶ Verùm huius uarietatis exempla, aut ex interpretum glossis, aut ex Grammaticorum lexicis sunt petenda. Multa huius generis collegit Linacer lib. 4. & ante ipsum Mancinellus, libello De constructione uaria.

DE CASIBVS SYNTHETICIS SEV CONNEXIS.

Connexi seu cōiuncti casus inter se copulantur aut

- Eodē tempore, & simpliciter: ut
  - Genitiuus, cum
    - Datiuo: ut,
      - Prospicio alicuius commodis.
      - Consulo puericiæ studijs.
    - Accusatiuo: ut,
      - Doleo tui uicem.
      - Reprehendo adolescentum contumaciam.
  - Datiuus, cum
    - Accusatiuo: ut,
      - Infligo tibi uulnus.
      - Lateri Tegeæum accommodat ensem.
      - Ne frena animo permitte calenti.
    - Ablatiuo: ut,
      - Interdico tibi igni & aqua.
      - Vt hosce instruxit, ipsus sibi cauit loco.
  - Accusatiuus, cum
    - Genitiuo: ut,
      - Accuso te furti.
      - Damno illum capitis.
      - Similes aliorum respice casus.
    - Datiuo: ut,
      - Iratis ipse dat arma dolor.
      - Ocia dant animos Veneri.
      - Sæpe tulit fessis succus amarus opem.
    - Ablatiuo: ut,
      - Prohibeo te domo.
      - Emo agrum pecunia.
      - Arceo hostem patria.
      - Vulgus amicitias utilitate probat.
      - Vos quoque ne caris aures onerate lapillis.
      - Ocia diuitijs Arabum liberrima muto.
  - Ablatiuus cum genitiuo: ut,
    - Supersedeo labore itineris.
    - Sustentor sumptibus patris.
- Temporibus diuersis, uel cùm casus
  - Separati uariatur aliqua præpositione: ut
    - Genitiuus: ut,
      - Admoneo huius rei, & de hac re.
      - Postulatus ambitus, & de ambitu.
    - Datiuus: ut,
      - Exulo domo, & à domo.
      - Aufero illi, & ab illo.
      - Demo capiti, & de capite.
      - Incumbo studijs, & in studia.
      - Sum moræ, & in mora.
      - Allatum est mihi, & ad me.
    - Accusatiuus: ut,
      - Accedo te, & accedo ad te.
      - Euado mortem, & è morte.
      - Habito domum, & in domo.
      - Exerceo artem, & exerceo me in arte, uel ad artem.
      - Accepit quinquenniū, & ad quinquēnium, uel in quinquennium.
    - Ablatiuus: ut,
      - Libero periculo, Et À periculo.
      - Distat urbe, Et Ab urbe.
      - Surgere nocte, Et De nocte.
      - Eiecit sedibus, Et È sedibus.
      - Laborat pedibus, Et Ex pedibus.
      - Nititur hasta, Et In hastam.
      - Iacet humo, Et In humo.
  - Coniuncti inter se permutātur conuersione,
    - Datiuus & accusatiuus: ut,
      - Dono tibi librum, & dono te libro.
      - Impertior tibi salutem & impertior te salute.
      - Aspergo tibi labem, & aspergo te labe.
    - Accusatiuus & genitiuus: ut, Accuso adolescentes inertiæ, & accuso adolescentum inertiam.
    - Accusatiuus & ablatiuus: ut, Induo me ueste, & induo mihi uestem.

DE VERBIS IMPERSONALIBVS INFINITIS.

DE INFINITIVIS.

Infinitiuorũ uerborum regulæ aut sunt

- **Generales:** *quales sunt,*
  - Verbum *modi infinitiui eundem casum admittit, quem ipsius thema seu origo.* Ouid. 2. de Pon. *Conueniens hominum est hominem seruare uoluptas.* Idem in Heroid. *Est aliqua ingrato meritum exprobrare uoluptas.*
  - Infinitiuus *more Græcorum ponitur interdum loco*
    - Nominatiui *antecedentis.* Pers. *Scire tuum nihil est: nisi te scire, hoc sciat alter. pro, scientia tua est nihil.*
    - Accusatiui *consequentis.* Ouid. 2. de Remed. *Et poteris modò uelle tene. id est, modò retine uoluntatem constantem.*
- **Speciales:** *cuiusmodi sunt,*
  - Infinitiuum *præcedit casus accusatiuus, qui per nominatiuum resoluitur.* Horat. 1. Epist. *Metiri se quenque suo modulo ac pede, uerum est. id est, ut quisque se metiatur.* Tibul. lib. 2. *Præda uago iussit geminare pericula ponto. id est, ut pericula geminentur.*
  - Infinitiuos *uerborum quæ gestum aut habitum significant, præcedunt & sequuntur accusatiui.* Terent. in Eunuch. *Parmenonem incedere tristem uideo. id est, quòd Parmeno incedat tristis. Accusatiuus autem posterior mutatur interdum in*
    - Nominatiuum. Lucan. 9. *Tutumq; putauit Iam bonus esse socer.* Ouid. 2. Trist. *Acceptum refero uersibus, esse nocens.*
    - Datiuum. Cic. *Licuit esse ocioso Themistocli, licuit Epaminundæ.* Martial. *Nobis non licet esse tam disertis. Plura exempla allata sunt suprà de Datiuo certi usus.*
  - Infinitiuus *adiungitur alijs uerbis, nempe cùm uerbo apponitur aut*
    - Vnus infinitiuus, *qui significat aut*
      - Facultatem. Ouid. *Felix qui potuit rerum cognoscere causas.*
      - Voluntatem. Claudian. *Non pete præscriptos homini transcendere fines.*
      - Sensum. Virg. *Sub Œbaliæ memini me turribus altis Corycium uidisse senem.*
      - Hæc exponuntur, *uel per particulam*
        - VT, τελικῶς, *quia actionis ostendunt finem: ut quæ uoluntatem & facultatem significant.*
        - QVOD, εἰδικῶς, *quia actionis ostendunt speciem: ut quæ significant sensum.*
    - Duplicatus infinitiuus. Terent. in And. *Quod iussi ei dare bibere, & quantùm imperaui, date.* Virgilius sexto: *Desine fata Deûm flecti sperare precando. Vltimus prioris exempli exponitur per gerundium: id est, quod iussi ei dare ad bibendum. Posterioris per coniunctiuum, & particulam* QVOD: *id est, sperare quòd fata Deûm flectantur.*
  - Infinitiuus *apponitur etiam nominibus aut*
    - Substantiuis, *& ponitur pro gerundio in* DI. *ut* Virgil. *Tempus desistere pugnæ: id est, tempus desistendi.*
    - Adiectiuis, *& ponitur pro gerundio in* DVM, *uel pro uerbo modi coniunctiui.* Lucanus *O: faciles dare summa deos, eademq; tueri Difficiles. id est, faciles ad dandum, & ad tuendum difficiles: uel faciles qui dent, difficiles qui tueantur.*

DE IMPERSONALIBVS ACTIVAE ET PASSIVAE VOCIS.

Impersonalia *sunt aut*
- Obseruatione, *quæ positu impersonalia fiunt, cùm ponuntur absolutè: ut Virgil. Stat cõferre manum Æneæ. Et, Certum est in siluis inter spelæa ferarum Malle pati.*
- Natura sua, *quæ uerè sic dicuntur. Eaq; aut actiuæ uocis sunt: ut, Refert, oportet. aut paßiuæ: ut, Statur, curritur.*

DE ACTIVIS.

Impersonalia uocis acti-
- Casum unum *& simplicem, ut*
  - Genitiuum, *ut hæc tria:*
    - Est. *Martial. Non est (crede mihi) sapientis dicere, Viuam.*
      - Est *uerbum, unam habet obseruationẽ. Terent. in Andr. Tuum est, si quid præter spem euenit, ignoscere. Deest, munus uel officium.*
    - Interest. *Cic. de Fin. Interest omnium rectè facere.*
    - Refert. *ut in uersu antiquo: Refert bonorum, exemplis puniri improbos.*
    - ¶ His *adijciuntur interdum*
      - Genitiui quantitatis: *Tãti, quanti, parui, magni, plurimi, minimi. Varro de Re rustica: Permagni interest, ut bene positæ sint uillæ.*
      - Ablatiui pronominum *possessiuorũ, Mea, Tua, Sua, Nostra, Vestra. Terent. in Hec. Tua quod nihil refert, percontari desinas.*
  - ¶ Obseruandum *est, quòd infinitiuus qui superadijcitur casibus, resoluitur aut per particulam*
    - VT: *Interest omnium rectè facere: uel, Interest omnium ut rectè faciant.*
    - AN: *Nihil interest hominis putrescere humi an sublime. Quod Cic. I. Tusc. ita extulit: Theodori quidem nihil interest, humi ne an sublime putrescat.*
  - Datiuum, *quæ numeratur à Grammaticis huiusmodi*
    - Accidit, *Competit, Conducit, Contingit, Constat, Conuenit, Euenit, Expedit, Libet, Licet, Liquet, Nocet, Obest, Patet, Placet cum compositis: Præstat, Prodest, Restat, Sufficit, Vacat. Cic. Tacere præstat Philosophis, quàm loqui. Terent. Non hercle uacat mihi nunc auscultare.*
    - *Hic casus interdũ mutatur more antiquo. Plau. in Merc. Ætatem aliam aliud factum conuenit.*
  - Accusatiuum, *ut ista quatuor*
    - Decet. *Sallust. Omnes homines summa ope niti decet, ne uitam silentio transeant.*
    - Delectat. *Cic. In primis me delectauit tantum studium bonorum in me extitisse.*
    - Iuuat. *Plaut. Neque unquam quidquã me iuuat, quod edo domi.*
    - Oportet. *Quintil. Mendacem memorem esse oportet.*
    - ¶ In *quibusdam uerbis idem casus mutatur, aut more*
      - Græco. *Terentius in Adel. Vt uobis decet.* ὑμῖν πρέπει.
      - Antiquo. *Plaut. in Cistell. Quandò ita tibi iuuat, uale atque salue.*

uæ aut regunt

Casus plures, idq; eodem tempore: ut

- Genitiuum & ablatiuum. Cic. ad Att. Mea magni interest te ut uideam. Item: Tua solius refert.
  - Ablatiuus interdum mutatur in præpositionem cum suo casu. Cic. Magni uidebatur interesse ad eam necessitudinem, quam nobis sors tribuisset.
- Accusatiuum & genitiuum: ut sunt uerba παθητικὰ, id est, alicuius certi affectus. Qualia sunt
  - Miseret. Terent. in Eun. Miseret me tui, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi.
  - Piget, pudet. Idem in Adel. Fratris me quidem piget, pudetq;.
  - Pœnitet. Cic. Suæ quenque fortunæ pœnitet. Terent. Nostrorum nosmet pœnitet.
  - Tædet. Cic. Sunt homines, quos libidinis infamiæq; suæ neque pudeat, neque tædeat.
  - Genitiuus interdum mutatur in infinitiuū. ut, Tædet me uitæ, tædet me uiuere. Pœnitet me facti, pœnitet me fecisse.

Casum geminatum, uel

- Vsitatè: ut, Miseret. Terent. in Heaut. Menedemi uicem miseret me.
- Inusitatè & antiquè: ut,
  - Pudet. Terent. in Adel. Non te hæc pudent?
  - Pœnitet. Pacuu. in Accio: Neque id sanè me pœnitet.

¶ Obseruanda in impersonalibus duo sunt: nonnunquam enim ponuntur uel

- Absolutè, omisso scilicet casu. Prop. Non iuuat ex humili lecta corona iugo. Virg. Neque enim numero comprēdere refert. Terent. More hominum euenit.
- Actiuè, casu actiui uerbi personalis addito, & omisso infinitiuo. Terent. in Eunuch. Dij immortales homo homini quid præstat, stulto intelligens quid interest? Iuuen. Sat. 15. Sæuis inter se conuenit ursis. Cic. 1. Offic. Id maximè quenque decet, quod est suum cuiusque maximè. Terent. in And. Quæ assolent, quæq; oportet signa ad salutem esse, omnia huic esse uideo.

DE PASSIVIS.

Impersonalia uocis passiuæ, aut

- Absolutè ponuntur, cùm nullum casum habent. Terent. Quid agitur? Statur.
- Casus uerborum personalium admittunt: idq; uel
  - Simpliciter, ut
    - Genitiuum. Plin. lib. 10. Nisi cum præsidio earum indigetur.
    - Datiuum, ut in dicto prouerbiali: Mihi neque seritur, neque metitur.
    - Ablatiuum. Claudian. Viuitur exiguo melius, natura beatis Omnibus esse dedit.
  - Cum præpositione. Terent. in Adel. Factum à uobis duriter. Ouid. 1. Metamorph. Viuitur ex rapto. Idem 2. Fast. Luditur in castris.

DE GERVNDIIS.

GERVNDIA (quæ Priscianus nomina, Charisius uerba, Donatus uerba participialia, Diomedes participiales modos uerborum, Seruius modos gerūdiuos, Linacer participialia nomina appellat: quæq; alij, teste Charisio, aduerbia esse qualitatis annotarunt) distinguuntur uel

- Significatione. ut enim actiuis & paßiuis uerbis accidunt, ita actiuorum & paßiuorum significationem retinent: ut, Homines nihil agendo male agere discunt. id est, dum nihil agunt. Virg. Exuperat magis, ardescitq; medendo. id est, dum illi medicina affertur.
- Terminatione: primum enim gerundium terminationem habet genitiui, secundum datiui uel ablatiui, tertium accusatiui, nominum declinationis secundæ.
- Regulis, construũtur aut in
  - Genere, cũ habẽt casum cõmunẽ sui uerbi:
    - Paßiuorum uerborum gerundia nullum post se casum admittũt: actiuorum uerò constructionem suæ originis sequuntur, similiter ut participia. Cic. Efferor studio patres uestros, quos colui & dilexi, uidendi. Prop. Milanion nullos fugiẽdo Tulle labores. Ouid. Vtendum est ætate, cito pede labitur ætas. Lucretius: Aeternas quoniam pœnas in morte timendum est.
    - Hæc gerundia trãseũt (ut Seruius nominat) in gerundiua κατ᾽ ἐξαλλαγήν.
      - Gell. lib. 13. Obiectum est ei, quòd pecuniam domus emendæ causa, à reo accepisset. id est, causa emendi domum. Cic. de Off. Orationẽ Latinam efficies legẽdis nostris pleniorem. pro, nostra legendo. Cornel. Tacitus: Multa arbitrio senatus constituta sunt, ne quis ad causam orandã, mercede aut donis emeretur. pro, ad orandum causam.
  - Specie, cum propriã sequũtur constructionem: ut gerũdia in
    - DI,
      - Construuntur cum nominibus substantiuis. Cic. Maxima est illecebra peccãdi impunitatis spes. Ouid. Tempore creuit amor, qui nunc est summus, habendi. Horat. Scribẽdi rectè, sapere est & principium & fons.
      - In his interdũ casus
        - Communis miscetur cum proprio. Terent. in Heaut. Date crescẽdi copiam nouarum.
        - Proprius permutatur cum infinitiuo, more Græcorum. ut cùm dico: Tempus dicere, καιρὸς λέγειν. pro, tempus dicendi. Propert. lib. 3. Non datur ad Musas currere, lata uia. id est, uia currendi, ὁδὸς τρέχειν.
    - DO, ponũtur aut
      - Absolutè. Pub. Casta ad uirũ matrona parendo imperat. Manil. Et quodcunque sagax tentando repperit usus.
      - Cum uerbo aliquo, uel
        - Sine præpositione. Ouid. Curando fieri quædã maiora uidemus Vulnera. Idem: Occidit Eurytion stultè data uina bibendo.
        - Cum certis præpositionibus:
          - A. Cic. De Orat. In quo isti nos iureconsulti impediunt, à discendoq; deterrent.
          - AB. Idem 3. Tuscu. Ab nuidendo inuidentia rectè dici potest, ut effugiamus ambiguum nomen inuidiæ.
          - CVM. Fab. lib. 1. Scribẽdi ratio cõiuncta cũ loquẽdo est.
          - DE. Cæs. Nihil de resistendo cogitabant.
          - EX. Cic. in Offic. Ex defendendo, quàm ex accusando uberior gloria comparatur.
          - IN. Pub. In iudicando criminosa est celeritas.
          - PRO. Plaut. in Aulul. Pro uapulando hercle ego abs te mercedem petam.
    - DVM collocantur aut
      - Absolutè. Cic. ex antiquo poëta: Vigilandũ est semper, multæ insidiæ sunt bonis. Iuuenal. Sat. 10. Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.
      - Cum certis præpositionibus, quales sunt
        - AD. Varro in Catone: Delectatio pro telo ad discendum.
        - ANTE. Virg. 3. Georg. Nanque ante domandum Ingentes tollent animos.
        - INTER. Liu. Inter spoliandum corpus hostis, ueruto percutitur.
        - OB. Cic. A quo pecuniam ob soluendum hoc acceperat.

DE SVPINIS.

Supina *(quæ uerba participialia nominat Fabius) aut significant*

- **Actiuè:** *ut*
  - In VM *supinum primũ, quod sequitur uerbi sui cõstructionem, & adiungitur ijs præcipuè uerbis quæ motũ ad locum significãt: & resoluitur aut per modum coniunctiuũ, aut per gerundiũ in* DVM. *Virg. 2. Æn. Non ego Myrmidonum sedes, Dolopum'ue superbas Aspiciam, aut Graijs seruitum matribus ibo. id est, ibo ut seruiam: uel, ibo ad seruiendum.*
    - **Interdum supinum**
      - Ponitur, *& casus uerbi omittitur. Ouid. 1. de Arte: Spectatum ueniunt, ueniunt spectentur ut ipsæ. id est, ueniunt ut spectent adolescentes, uel ad spectandum adolescentes.*
      - Ponitur *pro sua origine simplici, cum alio uerbo, more antiquo: & præsertim Comicorum. Saluſt. Bonos omnes perditum eant. id est, perdant. Terent. in And. Quid agis, cur te is perditum? id est, cur te perdis? Plaut. in Aulul. Nam si opulentus it petitum pauperioris gratiam. id est, si opulentus petit.*
- **Passiuè,** *ut supinum secundum, quod habet constructionem duplicem. Aut enim adijcitur*
  - **Nominibus significantibus** *aut*
    - Facultatem. *Salluſt. 3. Hiſt. Si quas ædes ignis cepit acriter, haud faciles sunt defensu, quin comburantur proxumæ.*
    - Modum. *Ouid. de Pon. Turpe quidem dictu, sed si modò uera fatemur, Vulgus amicicias utilitate probat.*
  - **Verbis motum de loco significantibus.** *Cato de Re rustica: Primus cubitu surgat, postremus cubitum eat. Stat. 1. Achill. Quem tunc uenatu rediturum in limine primo Audierat.*

DE PARTICIPIO.

PARTICIPIVM *adiungitur aut*

- **Nomini:** *quia habet casus & genera, & imitatur constructionem nominis adiectiui, uel in casu*
  - Quouis, *eidemq; respondet in genere pariter ac numero. Ouid. Flectitur iratus uoce rogante Deus. Idem: Nullus ad amissas ibit amicus opes. Prop. Est mala, sed cunctis ista terenda uia est.*
  - Tantùm ablatiuo, *cùm designãt consequentiam: hoc est, ita in oratione ponuntur, ut ad sententiæ perfectionem aliquid desideretur. Pub. Bona, imperante animo, fiet pecunia. Sen. in Medea: Qui statuit aliquid parte inaudita altera, Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.*
- **Verbo,** *quia habet tempora & significationes: & tunc imitatur constructionem uerbi sui, siue ponatur*
  - Simpliciter. *Tib. Et uanum metuens hominum genus, omina noctis Farre pio placant. Virg. Coniugio Æacidæ Pyrrhi sceptrisq; potitum.*
  - Figuratè. *Ouid. Spectantem specta, ridentem mollia ride. κατὰ συνεκδοχήν. Virg. Nulli exaudita deorum Vota precesq; meæ. κατ' ἀντίπτωσιν.*
- **Participio alteri,** *quo modo alterutrum fieri necesse est. Pub. Amans quod suspicatur uigilans, somniat. Idem: Amans iratus, multa mentitur sibi. Amans, pro amatore.*

DE PARTICIPII OBSERVATIONIBVS.

Participiū. *quod ad obseruationē pertinet, interdum*

- Absolutè. *Liu.lib.4.Dec.4 Permisso, ut seu dicere prius, seu audire mallet.*
- Poni tur *uel*
  - Loco aliarū partiū *orationis: uel*
    - Nominis, *idq; rursus uel*
      - Simpliciter. *Virg. Nigrantem, commista grandine, nimbum. pro, nigrum. Idem: Pictus conspectus in armis. pro, conspicuus.*
      - Cùm admittit *adiectiuorum flexiones & casus. ut cùm dico, Patiens patientior patientißimus. Virg. At patiens operum, paruoq; assueta iuuentus.*
    - Verbi, *idq; etiam uel*
      - More Græco. *Cic. de Orat. Est his ipsis uerbis loquens Socrates. id est, Socrates loquitur. Idem in Epist. A studijs nostris non est abhorrens, id est, non abhorret.*
      - Consuetudine Latina. *Salust. Priusquàm incipias, cõsulto: ubi consulueris, maturè opus facto est. id est, opus est cõsulere & facere.*
  - Alterius participij, *usurpatiuè (ut ait Seruius) ἐναλλαγῇ temporum. Virg. 3. Æn. Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi Mittimus. pro, scitaturum. Idem: Subit & deserta Creusa, Et direpta domus. pro, diripienda.*
- Ponitur ita *ut orationem uel*
  - Cõtrahat. *Virg. 3. Æn. Postquàm primus amor deceptã morte fefellit. id est, decepit ac fefellit.*
  - Dilatet, *ut apud poëtas, & usitatißimè apud Comicos, in his uidelicet uerbis,*
    - DO. *Virg. 9. Hæc ego uasta dabo, & lato te limite ducam. id est, uastabo.*
    - VOLO. *Terent. in Heau. Omnes uos oratos uolo. id est, oro.*
    - REDDO. *Idem in And. Iam ego te commotum reddam. pro, commouebo.*
    - CVRO. *Ibidem: Vbiubi erit, inuentum tibi curabo, & mecum adductum tuum Pamphilum. pro, inueniam & adducam.*
    - FACIO. *Accius: Hanc urbem ferro uastam faciet. id est, uastabit.*
    - HABEO. *Terent. in Hec. Quo pacto me habueris præpositam amori tuo. pro, præposueris.*

DE ADVERBIO.

Aduerbia *declarationis aut impletionis gratia, subijciūtur aut*

- Alijs orationis *partibus: ut*
  - Nominibus, *uel*
    - Adiectiuis. *Ouid. Tu quoq; formida nimium sublimia semper. Aduerbia nominibus adiectiuis coniuncta, aduerbia manent: & si quantitatẽ significãt, gradibus omnibus apponuntur,*
      - Positiuo: *ut, Multò diuersus, longè mutatus, facilè princeps.*
      - Comparatiuo: *ut, Multò humanior, longè melior, facilè doctior.*
      - Superlatiuo: *ut, Multò iucundißimus, longè improbißimus, facilè primus.*
    - Substantiuis. *Terent. Eia ne parum leno sies. Aduerbia verò nominibus substantiuis addita, interdum in nomina degenerant, & uice adiectiuorum ponuntur. Terent. in Hec. Viris esse aduorsas æquè studium est. id est, æquale studiũ. Ibid. Omne quod est interea tempus. id est, interiectũ tempus.*
  - Verbis. *Prop. Quàm facilè irati uerbo mutantur amantes. Iuuen. Mobilis & uaria est fermè natura malorum.*
  - Participijs. *Terent. Ego me meis omnibus scio esse apprimè obsequentem.*
  - Pronominibus. *Idem: Næ ille haud scit, quàm mihi nunc surdo narret fabulam.*
- Alterum aduerbiorum *alterum explanat. Pub. Bonus animus læsus, grauius multò irascitur. Cic. in Acad. De quo diu nimium etiam disputo. Terent. in Eun. Certè tu quidem pol multò hilarior.*

DE CASIBVS ADVERBIORVM.

Aduerbia *post se casus admittunt, aut*

- **Origine sua,** *cùm sequuntur constructionem primitiuorũ: qualia sunt pleraque qualitatis aduerbia. Ea autẽ postulant aut*
  - **Genitiuum:** *ut aduerbia copiæ.* Virg. 7. *Terrorum & fraudis abundè est.* Plau. in Rud. *Largiter mercedis indipiscar.*
  - **Datiuũ:** *ut*
    - Aequalitatis. Horat. *Viuere naturæ si conuenienter oportet.*
    - Propinquitatis. Æmil. *Propius Tiberi quàm Thermopylis, de summa imperij dimicasset.*
    - Commodi. Ouid. *Vtiliter Phrygibus uicisse Pelasgos.*
  - **Accusatiuum:** *ut ab aduerbio Clam, diminutiuũ clanculum.* Terent. in Adel. *Alij clanculum patres quæ faciunt.*
- **Natura sua,** *cũ certos casus assumũt, quos recipit scriptorũ probatorũ auctoritas. Ea autẽ asciscũt uel*
  - **Vnum casum,** *quales sunt*
    - **Genitiuus,** *qui est aduerbiorũ certæ significationis, cuiusmodi sunt*
      - Loci: *ut, Nusquam gentium, Vbique terrarum.* Pers. *Huccine rerum Venimus.*
      - Temporis: *ut, Tunc temporis, Interea temporis.*
      - Intensionis: *ut, Eò impudentiæ, Eò ingratitudinis.*
      - Quantitatis. Sallust. in Catil. *Satis loquentiæ, sapientiæ parum.*
      - Similitudinis. Ouid. in Trist. *Antè uolebatis, gratiq; erat instar honoris Carminibus nostris nomina uestra legi.*
      - Comparationis. Varro: *Quæ suo quæque loco sunt posita, ea minus loci occupant.*
      - Partitionis. Cic. de Orat. *Eorum partim in pompa, partim in acie illustres fuerunt.* Terent. in Hec. *Partim sum earum exactus, partim uix steti.*
    - **Datiuus.** Cic. pro Milone: *Obuiam fit ei Clodius expeditus, in equo.*
    - **Accusatiuus:** *ut*
      - Hem, *cùm est demonstrandi aduerbium.* Terent. in And. *Hem Dauum tibi.*
      - Vsque. Terent. in Adelph. *Miletum usque obsecro.* *
    - **Vocatiuus:** *ut Heus, cùm est uocãdi.* Virg. 1. Æn. *Heus, inquit, iuuenes mõstrate.*
  - **Casus uarios:** *cuiusmodi sunt*
    - **Nominatiuus** *& accusatiuus.*
      - En. Virg. 1. Æneid. *En Priamus: Sunt hic etiam sua præmia laudi.* Idem in Buc. *En quatuor aras.*
      - O. Terent. *O frater frater, quid ego nũc te laudem?* Idem in Phor. *O audaciam, etiam ne ultrò accusatum aduenis?*
    - **Genitiuus** *& accusatiuus: ut, Pridie Calendarum, & pridie Calendas.*
    - **Nominatiuus,** *datiuus, accusatiuus: ut,* Ecce. Cic. in Verr. *Ecce autem noua turba & rixa.* Idem in Offic. *Ecce tibi, qui rex populi Romani esse concupierit.* Idem de Finib. *Ecce miserum hominem, si dolor summum malum est.*

* *Vnum aduerbium est, nempe Vsq; quod etiam certis præpositionibus adiungitur, quales sunt*

- A. Cic. de Nat. deor. *Vsque à Talete enumerasti sententias philosophorum.*
- AB. Idem de Diuin. *Vetus opinio est iam usque ab heroicis ducta temporibus.*
- AD. Idem: *Ab hora octaua usque ad uesperum.*
- ANTE. Liuius 5. Bel. Pun. *Vsque ante diem quintum cal. Maias.*
- EX. Terent. in Eun. *Ex Æthiopia est usque.*
- EXTRA. Plin. lib. 8. *Vsque extra solitudines deductus.*
- IN. *Vt cùm dico: In Armeniam usque uenit Imperator barbarossa.*
- SVB. Virg. 1. Georg. *Vsque sub extremum Brumæ.*
- SVPER. Idem 11. *Longus in occasum, fines super usque Sicanos.*
- TRANS. Cic. pro Quint. *Trans Alpes usque transfertur.*

Aduerbia *itaque primorum graduum suum casum retinent: ut cùm dico, Prope illum: secundorum uerò graduum, aut*

- **Suæ originis** *casum retinent.* Cic. in Off. *Proximè & secundum deos, homines hominibus maximè utiles esse possunt.*
- **Naturalem** *casum gradus assumunt.* Virgil. in Georg. *Quod sæpe uidentes Agricolæ, propius stabulis armenta tenerent.*

DE MODIS ADVERBIORVM.

Aduerbia etiam certis modis apponuntur. Quædam

- Vni soli: ut
  - Indicatiuo, adduntur aduerbia
    - Loci: ut, Vbiubi est, diu cælari non potest. Exi foras scelesté. Cur non rectà introibas? Illuc, unde abij, redeo. item Vt, pro postquàm. Virgil. 8. Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce Extulit.
    - Similitudinis. Cic. in Catone Maiore: Vt non omne uinum, sic non omnis ætas coacescit. Virg. 12. Impastus ceu plena leo per ouilia turbans (Suadet enim uesana fames) manditq́; trahitq́; Molle pecus.
  - Imperatiuo, aduerbia hortandi. Virg. 2. Æneid. Ergo age chare pater, ceruici imponere nostræ. Cic. 2. Tusc. Age, itera dum eadem mihi ista. Vocandi: Huc ades ô Melibœe.
  - Optatiuo, adduntur aduerbia
    - Optandi. Tib. O ego ne possem tales sentire dolores. Virgil. Troiam genitore Adamasto Paupere (mansissetq́; utinam fortuna) profectus.
- Modis duobus: ut
  - Indicatiuo & coniunctiuo, ut fit in aduerbijs
    - Localibus, significatione uel
      - Eadem: ut, Cùm, pro quando
        - Pub. Cùm uicia prosunt, peccat qui rectè facit. Cic. pro Arch. Cùm statuas & imagines corporis, multi summi uiri reliquerint: consiliorum relinquere ac uirtutum nostrarum effigiem nonne multò malle debemus?
      - Diuersa: ut, ubi
        - Interrogatiuum, indicatiuum habet. Cic. de Orat. Vbi sunt, qui Antonium Græcè negant scire?
        - Pro quando, uel cùm, coniunctiuum. Cic. pro Rabirio Posthumo: Vbi semel quis peierauerit, ei credi postea non oportet. Idem in Epist. Vbi non sis qui fueris, non est cur uelis uiuere.
    - Interrogatiuis, quod fit uel significatione
      - Eadem: ut, Cur, pro quare. Virg. 11. Cur indecores in limine primo Deficimus? Cic. pro Rosc. Non fuit causa, cur tantum laborem caperes.
      - Diuersa: ut Quò, pro
        - Quem in locum, habet indicatiuum. Virgil. in Buc. Quò te Mœri pedes? an quò uia ducit?
        - Vt, coniunctiuum. Cic. ad Nigidium: Quò facilius, quibus est iratior, respondere tristius possit.
  - Imperatiuo & coniunctiuo, ut fit in aduerbijs prohibendi.
    - Virg. 6. Æneid. Ne sæui magna sacerdos. Terent. in Eun. Ne istud tam iniquo patiare animo. Negat autem Seruius, imperatiuum huic aduerbio iungi posse, nisi more antiquorum: proprium enim modum eius esse coniunctiuum.
- Omnibus, ut aduerbia reliqua, exceptis negandi & interrogandi, quæ Imperatiuo non adduntur: item declarandi & demonstrandi, quæ non adduntur Optatiuo.

DE SIGNIFICATIONE ADVERBIORVM.

Ex Aduerbiorum significatione, ut dictum modò est, plerunque cognoscitur constructio. In significatione tamen duo adhuc sunt seruanda,

- Ἐναλλαγαὶ, cùm aduerbia ponuntur pro alijs orationis partibus: ut loco
  - Nominum. Terent. Heri semper lenitas. id est, perpetua lenitas. Virg. Neque enim ignari sumus antè malorum. id est, præteritorum malorum.
  - Pronominum relatiuorum. Vt in Buc. Romam Melibœe putaui, Stultus ego huic nostræ similem: quò sæpe solemus. id est, in quam urbem solemus. Terent. in Eun. E prædonibus undè emerat. id est, de quibus.
- Καταχρήσεις, cum aduerbia ponuntur impropriè & abusiuè: ut, Aduerbia
  - Loci, pro aduerbijs temporis. Terent. in Eunuch. Hìc ego illum contempsi præ me. id est, tunc.
  - Temporis, pro loci. Idem: Interea loci ad macellum ubi uenimus. pro, interea temporis.
  - Qualitatis pro intendendi. Idem in Hec. Malè metuo ne Philumenæ magis morbus aggrauescat. pro, ualde.
  - Quantitatis, pro intendendi. Idem in Eun. Me eius sperò fratrem properādum iam reperisse, adolescentē adeò nobilem. pro, apprimè.

DE PRÆPOSITIONE.

Præpositiones aliæ seruiũt accusatiuo, aliæ ablatiuo, aliæ utrique casui.

Accusatiuo, *triginta:*

- Ad. *Ouid. Confugit interdum templi uiolator ad aram.*
- Aduersus. *Cic. Adhibenda est quædam reuerentia aduersus homines.*
- Ante. *Virg. Ante focum, si frigus erit: si meßis, in umbra.*
- Apud. *Martial. Scæuola tu cœnas apud omnes, nullus apud te.*
- Circa. *Plin. Nec amplius, quàm circa eum mensem uisuntur.*
- Circiter. *Curt. Multi eo bello capti, circiter duo millia desiderati.*
- Circum. *Terent. Quæ circum illam essent, manent nouitiæ puellæ.*
- Cis. *Vt: Italia cis Padum, cis Alpes. Loci enim notationem significat.*
- Citra. *Horat. Sunt certi denique fines, Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.*
- Contra. *Terent. Inscitia est contra, stimulum calces.*
- Erga. *Idem: Si unquam erga te animo esse amico sensisti eam.*
- Extra. *Pub. Homo extra corpus est suum, cùm irascitur.*
- Infra. *Horat. Nomentanus erat supra ipsum, Porcius infra.*
- Inter. *Idem: Inter cuncta, leges & percontabere doctos.*
- Intra. *Ouid. Cõscia mẽs ut cuiq; sua est, ita cõcipit intra Pectora, pro facto spẽq; metũq; suo.*
- Iuxta. *Varro de Lucretia: Cùm interea lucubrando faceret iuxta ancillas lanam.*
- Ob. *Cic. Ob delictum dij pœnas expetunt.*
- Penes. *Ouid. Me penes est unum uasti custodia mundi.*
- Per. *Idem: Tuta frequensq; uia est per amici fallere nomen.*
- Pone. *Plaut. Póne ædem Castoris sunt, quibus credas malè.*
- Post. *Prop. Omnia post obitum fingit maiora uetustas.*
- Præter. *Ouid. Qui rapitur fatis, quid præter fata requirit?*
- Prope. *Horat. Summus ego & prope me Viscus.*
- Propter. *Plaut. Aliquid mali, propter uicinum malum.*
- Secũdum. *Cic. Omnia quæ secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis.*
- Secus. *Cato: Secus decursum aquarum seruntur salices.*
- Supra. *Pub. Ius omnem supra iniuriam positum scias.*
- Trans. *Horat. Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.*
- Vltra. *Iuuenal. Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem Oceanum.*
- Vsque. *Cic. Quintus usque Puteolos uenit.*

Ablatiuo, *quindecim:*

- À. *Ouid. Adde quòd insidiæ sacris à uatibus absunt.*
- Ab. *Manil. Nascẽtes morimur, finisq; ab origine pendet.*
- Abs. *Terent. Abs quiuis homine, cùm opus est, beneficium accipere gaudeas.*
- Absq;. *Idem: Nam absq; eo esset, rectè ego mihi uidißẽ.*
- Clam. *Plaut. Peculi probam nihil habere addecet, clam uiro.*
- Coram. *Iuuen. Cantabit uacuus coram latrone uiator.*
- Cum. *Hora. Et genus & uirtus, nisi cũ re, uilior alga est.*
- De. *Ouid. Nauita de uentis, de tauris narrat arator.*
- È. *Enn. Pellitur è medio sapientia, ui geritur res.*
- Ex. *Pub. Ex uicio alterius sapiens emendat suum.*
- Palam. *Ouid. Marte palàm, simul est Vulcanũ imitata.*
- Præ. *Terent. Credo, ut fit, misera præ amore exclusisti hunc foras.*
- Pro. *Auson. Incipe quicquid agas, pro toto est prima operis pars.*
- Procul. *Columella: Illud procul uero est, quod plerique crediderunt, facilimam esse, nec ullius acuminis rusticationem.*
- Sine. *Propert. Omnis enim debet sine uano nũcius esse.*
- Tenus. *Ouid. Primaq; libato summo tenus attigit ore.*

Ex ijs *quæ Ablatiuo seruiũt, tres excipiuntur:*

- Clam, *quæ interdũ admittit accusatiuũ, more antiquo. Cic. in Sall. Timens ne facinora eius clã uos essent. Accius in Eurysace: Id quod miser est, clam esse censet alteros.*
- Procul, *quæ cõstruitur cũ genitiuo, etiã more antiquo: ut, Procul hostiũ, dixit Sisenna lib. 4. Hist. ut est apud Nonium.*
- Tenus, *quæ interdũ asciscit genitiuũ. Virg. 10. Cui laterum tenus hispida nãti Frõs homimẽ præfert. Hoc autẽ in plurali tantùm numero fieri, Grãmatici annotarunt. Sed Ouid. contrà, 5. Metamorph. Pectoribusq; tenus molles erectus in auras.*

Vtrique

Vtrique casui

- Diuersis significationibus quatuor,
  - In. Horat. Dum licet, in rebus iucundis uiue beatus. Ouid. Liuor iners uicium, mores non exit in altos.
  - Sub. Cic. de Orat. Omnia sub acumen stili subeant necesse est. Manilius lib. 4. An dubium est, habitare Deum sub pectore nostro?
  - Subter. Cic. in Tusc. Plato iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locauit. Virg. 9. Æneid. Omnes Ferre libet densa subter testudine casus.
  - Super. Virgil. 6. Sed te super omnia dona Vnum oro. Idem 4. Nec super ipse sua molitur laude laborem.
- Eadem significatione: ut, Clam apud ueteres: ut, Clam patrem, clam patre. item Tenus. Flac. in Argon. Et Tanaim tenus, immenso descendit ab Euro. Virg. 2. Æneid. Lateri capulo tenus abdidit ensem.

DE VARIETATE PRÆPOSITIONVM IN CONSTRVCTIONE.

Præpositiones, quod ad constructionis uarietatem attinet, aut

- Omittuntur κατ' ἔνδειαν: ut
  - Propter. Terent. in Eunuch. Nunc id prodeo, ut conueniam Phormionem.
  - Ab. Virg. 1. Æneid. Cùm Iupiter æthere summo Despiciens mare.
  - In. Idem 12. Saxum antiquum, ingens, campo quod forte iacebat.
  - Cum. Idem 9. Præceps saltu sese omnibus armis In fluuium dedit.
  - E. Idem 6. Proijce tela manu sanguis pius.
- Geminantur κατ' ἀναφοράν, ἢ παλιλογίαν, idq; uel
  - Inter se, cùm præpositio præpositioni iungitur: quod fieri posse negat Seruius. Id ego sic intelligo: natura præpositionis fieri non posse, sed aduerbij in quod trãsit. Eiusmodi autem præpositiones sunt tres tantummodo:
    - Ante. ut in uetere Epitaphio: Neque abante aliter ponat, nec commoueat. Prop. lib. 2. Hic dominam exemplo ponat inante suam.
    - Versus. Velleius: A Lupercali in palatium uersus theatrum facere instituit. Cæs. 6. belli Gall. Ad Oceanum uersus in eas partes, quæ Menapios attingunt, proficisci iubet.
    - Vsque: sed tum in aduerbium transit, cuius paulo antè exempla enumerauimus.
  - Cum eadem præpositio repetitur, cum qua uerbũ ipsum est cõpositum. Eiusmodi præpositiones apud Ciceronem sunt nouẽ: AD. CVM. DE. EX. IN. PRO. PER. SVB. TRANS. Cicero
    - Bruto: Qui ad nos intempestiuè adeunt, molesti sæpe sunt.
    - De Nat. deor. Luna tum congrediens cum sole, tum digrediens.
    - Appio: Ne quid de summo meo erga te amore detractum esse uideatur.
    - In Bruto: Nihil non consideratum exibat ex ore.
    - Dolabellæ: Incidit in ea ipsa mala, quæ summo studio uitauerat.
    - De Inuent. Vt non oppugnare commoda patriæ, sed pro his propugnare posit.
    - Att. Perrexi in Ciliciam per Cappadociæ partem.
    - In Top. Quod sub ea causa subiectum est.
    - Pro Quint. Næuius trans Alpes usque transfertur.
- Traijciuntur καθ' ὑπέρβατον, uel (ut Seruius) καθ' ὑστερολογίαν. Casui enim suo uel
  - Postponuntur in fine, idq; aut
    - In compositione: ut in illis, Quicum partiri curat. Et, Mecum erit iste labor. Et, Sacra hæc celebrate fauẽtes Nobiscum.
    - Extra compositionem. Virg. 3. Georg. Te sine nil altum mens inchoat. Idem: His accensa super.
  - Collocãtur in medio inter duos casus: idq; rursus aut
    - In cõpositione: ut, in Quemadmodũ, et quãobrẽ, et quadecausa.
    - Extra cõpositionem, quod Ciceroni admodũ est usitatum: ut, Cæteris in rebus se acerrimũ tui defensorẽ fore ostẽdit. Item: Familiaritas tanta nullo cum hospite. Item: Quibus ex omnib. acriter excitata indignatio. Virg. in Buc. Fronde super uiridi, sunt nobis mitia poma. Tib. 1. Flaua Ceres tibi sit nostro de rure corona.

Detrahuntur

Detrahuntur *casibus, & apponuntur uerbis, κατὰ συμπάθειαν.* Cic. Pæto: Dionysius tyrannus cùm Syracusis expulsus esset, Corinthi dicitur ludum aperuisse. Pro, pulsus è Syracusis. Virg. 7. Tutari Italiam, detrudere finibus hostem. Pro, trudere de finibus. Cùm compositum uerbum caret origine, detrahi non potest. Idem: Quas uento accesserit oras. pro, ad quas oras. Hic tamen casus interdum poëticè mutatur in alium κατ' ἀντίπτωσιν: ut apud eundem, Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris. pro, labitur ad oras Cumarum.

¶ De uarietate autem significationum in uno etiam casu, tradi alijs locis solet: quam qui cupit cognoscere, uel petat è Lexicis communibus, uel breuitatis causa legat Cœlium Secundum.

DE CONIVNCTIONE.

CONIVNCTIO, *aut annectit orationem orationi: aut copulat similes orationis partes, uel similia partium accidentia.* Cic. 3 de Fin. Mundus regitur numine Deorum, estq́; quasi communis urbs & ciuitas hominũ. Ouid. 3. Trist. Nil ita sublime est, supraq́; pericula tendit, Non sit ut inferius, suppositumq́; Deo. In priore parte utriusq; exempli oratio orationi coniungitur, in altera connectuntur similia accidentia.

In coniunctione *obseruanda diuersitas est. nam interdum*
- Non connectũtur
  - Eædem *orationis partes, ut in priore exẽplo: Non sit ut inferius, suppositumq́; Deo.*
  - Similia *partium accidentia, idq; fit cùm mutatur aut*
    - Gradus: *ut cùm cõiunguntur positiuus & superlatiuus.* Brutus Ciceroni: Genus hominum aduersariorum seditiosum & inertißimum.
    - Casus: *cùm connectuntur possesiua & substantiua.* Terent. in And. Meo præsidio atque hospitis.
    - Numerus: *ut cùm dico, Venetiæ & Erfurdia eodem anno conditæ sunt.*
    - Modus. Ouid. in Heroid. Non pudet Aloide, uictricem mille laborum Rasilibus calathis imposuisse manum, Crassaq́; robusto deducis pollice fila.
    - Tempus. Tibul. lib. 1. At nobis pax alma ueni, spicamq́; teneto, Perfluat & pomis candidus ante sinus.
    - Persona. Idem: Sic ego sim, liceatq́; caput candescere canis.
- Solent coniunctiones *seu particulæ figuratè aut*
  - Deesse, *quæ figura dicitur ἀσύνδετον.* Sall. in Cat. Quæ homines arant, nauigant, ædificant, omnia uirtuti parent.
  - Abundare, *quæ figura appellatur πολυσύνδετον. ut in Virgilij & Ouidij uersu, quem de Homero uterque transtulit:* Alcandrumq́;, Haliumq́;, Noëmonaq́;, Prytanimq́;.

DE MODIS CONIVNCTIONVM.

Coniunctiones *addũtur in orationis contextu, modis duobus:*
- Indicatiuo, *quales sunt*
  - Subcontinuatiuæ: *Quoniam, quando, quandoquidem.*
  - Continuatiua: *Nisisi.*
  - Collectiuæ: *Scilicet, uidelicet, nempe.*
  - Dubitatiuæ: *Vtrum, an.*
- Coniunctiuo, *quales sunt*
  - Causales: *Si, ne, quin, ut.*
  - Rationales: *Ni, nisi, siquidem, quia, quod, quippequi.*
- Vtrique, *indicatiuo & coniunctiuo, ut sunt illatiuæ: Quanquam, etsi, tametsi, quamuis, licet. Vt autem, quia uariè significat, uarijs etiam modis coniungi solet.*

¶ De connexione autem, & ordine atque usu coniunctionum tradi breuiter non potest, si modò tradi omnino potest. Latini enim sermonis uis & elegantia, in cognitione particularum, & proprietate earum antiqua est posita: earumq́; explicatio potius est πρακτικὴ, quàm θεωρητικὴ: magisq́; pertinet ad interpretem, quàm ad doctorem Grãmaticum.

DE INTERIECTIONE.

Interiectiones aut

- **Ponũtur** *absolutè, quæ ita poni consueuerunt uel*
  - **Perpetuò,** *quales sunt notæ*
    - Silentij, *St St.*
    - Fletus, *Oi hei.*
    - Risus, *Ha ha hæ.*
    - Perturbationis *cuiusuis, At at at, oh oh oh: cuius generis plures ueteribus usitatas, recenset Charisius.*
  - **Certo loco** *atq; tempore. Plaut. in Pœn. Hem, isthæc uolo ego uos meminisse omnia. Virg. in Buc. Mantua, uæ, miseræ nimium uicina Cremonæ. Idem: Eheu, quid uolui misero mihi? Plaut. in Aul. Euge euge, dij me saluum & seruatum uolunt.*
- **Apponuntur** *alijs orationis partibus: uel*
  - **Nominibus,** *quæ certos post se casus regũt. Vel*
    - **Vnũ** *aliquẽ simplicem, ut*
      - Nominatiuum: *Vah. Terent. Vah consilium callidum.*
      - Datiuum, *ut*
        - Hei. *Virg. Hei mihi qualis erat, quantùm mutatus.*
        - Væ. *Martial. Quòd si resciero, uæ tibi causidice.*
      - Accusatiuum
        - O. *Cic. O præclarum custodem ouium (ut aiunt) lupum.*
        - Apage. *Plaut. Apage istiusmodi salutem, cum cruciatu quæ aduenit.*
        - Cedò. *Cic. in Verr. Cedò tabulas.*
      - Vocatiuum,
        - Ah. *Virg. Quem fugis? ah demens.*
        - Au. *Terent. Au au, mi homo, sanus'ne es?*
        - Euge. *Terent. Eugè ô Charine.*
        - Ohe. *Martial. Ohe iam satis est, ohe libelle.*
    - **Plures** *casus cõiũctos, diuersis tamen in locis: ut*
      - Accusatiuum *& uocatiuum: ut, Hem. Terent. Hem astutias. Idem: Hem Pamphile.*
      - Nominatiuum, *accusatiuũ, uocatiuum: ut,*
        - O
          - *Seneca in Agamem. O nulla longi tẽporis felicitas.*
          - *Virg. in Georg. O fortunatos nimium, bona si sua norint, Agricolas.*
          - *Terent. in Hec. O fors fortuna, ut nunquam perpetuò es bona.*
        - Proh
          - *Lucan. Proh quanta potentia fati.*
          - *Terent. Proh fidem Deûm, facinus fœdum.*
          - *Idem: Proh supreme Iuppiter.*
      - Nominatiuum, *datiuum, accusatiuum, uocatiuum*
        - *Virg. 6. Æneid. Heu pietas, heu prisca fides.*
        - *Plaut. in Milite: Heu mihi, nequeo quin fleam.*
        - *Virg. 7. Heu stirpem inuisam.*
        - *Idem 11. Heu nimium, uirgo, nimium crudele luisti Supplicium.*
  - **Verbis,** *cum quibus interiectiones cohærere posse negat Seruius: qui cohærere affirmant, sequi easdem aiunt uerba modi infinitiui. Terent. in And. Ah, tantam'ne rem tam negligenter agere? Virg. 2. Æneid. Heu nihil inuitis fas quenquam fidere Diuis.*
  - **Aduerbijs,** *quibus rectè adduntur interiectiones. Terent. in Heaut. Ohe iam desine Deos, uxor, gratulando obtundere. Idem in And. Hui tam citò. Idem in Adel. Phy, domi habuit undè disceret.*
  - **Interiectionibus,** *quod fit in uehementiore affectu. Virg. 4. Æneid. Eia age, rumpe moras: uarium & mutabile semper Fœmina. Horat. 1. Carm. Heu, heu quantus equis, Quantus adest uiris Sudor.*

DE INTERIECTIONVM OBSERVATIONIBVS.

Observandvm est, loco interiectionum poni alias quoque orationis partes, cùm amissis suis substantiuis aut casibus, affectū aliquem animi significant.

- **Nomina** cùm per parenthesin interponūtur orationi: qualia sunt
  - Infandum. Virg. 1. Æn. Nauibus (infandùm) amissis, unius ob iram Prodimur.
  - Indignum. Ouid. 5. Metamorph. Isset, & (indignùm) scelerato profuit ara.
  - Malum. Plaut. in Aul. Quid tu (malùm) curas, utrum crudum an coctum edam?
  - Mirum. Lucan. 4. Ruituraq; semper Stat (mirùm) moles.
  - Miserum. Virg. 6. Tum pendĕre pœnas Cæcropidæ iussi (miserùm) septena quotānis Corpora natorùm.
  - Miserabile. Idem 12. Quatit (miserabile) cæsis Hostibus insultans.
  - Turpe. Horat. 9. Epod. Interq; signa (turpè) militaria Sol aspicit Conopeum.
  - Mirabile. Ouid. 3. Metamorph. Deq; uiro factus (mirabilè) fœmina septem Egerat autumnos.
  - Nefas. Virg. 8. Æneid. Vires oriētis, & ultima secum Bactra uehit, sequiturq; (nefas) Ægyptia coniunx.
  - Odiosum. Terent. in Hec. Ita usque aduersa tempestate usi sumus, odiosùm.
- **Verba**, cùm absolutè ponuntur, & affectuosè: eaq; tantùm aut Indicatiui aut Imperatiui modi.
  - Precor. Ouid. 3. Trist. Propositiq;, precòr, contrahe uela tui.
  - Obsecro. Terent. in Eunuch. Non uides? Videam, obsecrò, quem?
  - Amabo. Ibid. Habes'ne hominem amabò?
  - Sodes. Plaut. in Aul. Dic sodès quis ea'nam est, quam me uis ducere?
  - Age. Terent. in Adel. Agè scis quid loquar?
  - Agite. Propert. 3. Ite, agitè, expertæ bello, date linea proræ.
  - Cedò. Terentius in Eunuch. Cedò alios, ubi centurio est Sanga?

¶ Huc pertinent illa apud Catullum: Eheu quid faciant (dij) homines, cuí ue habeant fidem? Dij, per exclamationem interponitur, quasi affectus rei non credibilis.

SECVNDI LIBRI FINIS.

Georgii Fabricii Chemnicensis Partitionum Grammaticarum, quæ Tabulis delineatæ sunt, Liber Tertius.

DE FIGVRIS GRAMMATICIS.

DE FIGVRIS Grammaticis dicturo, per eas partes, in quas Grammaticam distinximus recurrendum est, ut totum de figuris negotium, semel, & (ut Græci dicunt) συλλήβδην comprehendatur. Primùm igitur proponemus Figurarum diuisionem communem: quam deinceps per suas partes secabimus, ut sit earum & facilior perceptio, & plana magis intelligentia.

FIGVRARVM OMNIVM PARTITIO GENERALIS.

Figvrae Grammaticæ in uniuersum sunt generum duorũ. Aut enim sunt uerborũ

- **Singulorum**, *quæ* ΜΕΤΑΠΛΑΣΜΟΙ *nominantur, & ab antiquißimis* μετασκευαί. *Eæ autem uel sunt*
  - **Orthographiæ**, *cùm scribendo litera syllabáue uel*
    - Additur.
    - Adimitur.
    - Immutatur.
  - **Prosodiæ**, *cùm metiendo litera syllabáue uel*
    - Resoluitur, *coniungitúrue.*
    - Excluditur.
    - Immutatur.
- **Coniunctorum**, *cùm in oratione mutatio fit insolita: quæ figuræ uel sunt*
  - **Syntaxis**, *propter quantitatem: quia habent plus minus'ue, aut mutationem loci: quæ nominantur* ΣΧΗΜΑΤΑ *à Grãmaticis,* ἐξαλλαγαὶ *ab Aristotele, ut cùm aliquid*
    - Subauditur.
    - Immutatur.
    - Abundat.
    - Desideratur.
    - Traijcitur.
  - **Etymologiæ**, *propter qualitatem: quia pertinent ad uerborum uel*
    - **Tractationem**, *cùm forma dictionis arte aliqua nouatur, quæ figuræ appellari possunt* ΤΥΠΟΙ.
    - **Significationem**, *cùm uerbum ad rem aliam transfertur, quæ* ΤΡΟΠΟΙ *à Grammaticis, speciali nomine* μεταφοραὶ *dicuntur ab Aristotele.*

DE FIGVRIS VERBORVM SINGVLORVM.

FIGVRAE *uerborum simplicium uel singulorum, τ̃ ῥημάτων ἁπλῶν, à Græcis πάθη τ̃ λέξεων, seu (ut Priscianus) paßiones dictionum dicuntur, & generali nomine μεταπλασμοί: quibus poëtæ utuntur potißimum. in oratione enim soluta plerunque pro barbarismis habentur, quos in uicijs orationis explicabimus. Pertiment autem οἱ μεταπλασμοὶ ad priores Grammaticæ partes duas: Orthographiam & Prosodiam.*

FIGVRARVM QVÆ SVNT IN VERBIS SINGVLIS PARTITIO GENERALIS.

Figuræ *singulorum uerborum, μεταπλασμοὶ, pertinent aut ad*

- Literarum syllabarumq́ *scriptionem seu pronunciationem, quæ sunt Orthographiæ, eæq́; trium sunt generum. Interdum enim aliquid*
  - Additur, *κατὰ προσθήκην: ut fit in*
    - Prosthesi.
    - Epenthesi.
    - Proparalepsi.
  - Adimitur, *κατ᾽ ἀφαίρεσιν: ut fit in*
    - Aphæresi.
    - Syncopa.
    - Apocopa.
  - Immutatur, *κατὰ μετακίνησιν: ut fit in*
    - Metathesi.
    - Antithesi.
    - Tmesi.
- Versuum mensionem, *quæ sunt Prosodiæ, eæq́; totidem generum sunt. Interdum enim aliquid*
  - Resoluitur *aut coniungitur, κατὰ χωρισμὸν καὶ σύνδεσμον: ut fit in*
    - Diæresi.
    - Synæresi.
  - Excluditur, *κατ᾽ ἀφαίρεσιν: ut fit in*
    - Synalœpha.
    - Ecthlipsi.
  - Immutatur, *κατὰ ποσότητα: ut fit in*
    - Diastole.
    - Systole.

DE FIGVRIS ORTHOGRAPHIÆ PRIMI GENERIS, IN QVIBVS ALIQVID ADDITVR.

Figuræ quibus adijcitur aliquid dictioni, uocantur σχήματα πλεονασικὰ, ἢ ἐκ τοῦ παραλλήλου, & numero tres sunt:

- Πρόθεσις, Appositio, uel (ut Charisius) adiectio est cùm additur dictionis principio aut
  - Litera, κατὰ προσιοσότητα, uel
    - Vocalis: ut, Oufens, pro Vfens.
    - Consonans. Virgil. Gnatis parce tuis. pro, natis. Plaut. Gnauè agere oportet, quod agis. pro, nauè.
  - Syllaba. κατ' ἀναδίπλωσιν, ut Corinthus: seu ἀναδιπλασιασμὸν, ut alij, id est geminationem. Terentius: Nunquam huc tetulissem pedem. Idem, Vna illarum interea properè præcucurrit. Pro, tulissem, & præcurrit.
- Ἐπένθεσις, Interpositio, seu (ut Seruius) interpositum, est, cùm medio dictionis interijcitur aut
  - Litera, uel
    - Vocalis, κατὰ παρένθεσιν, ita uti hanc figuram nominant Trypho & Charisius: ut, Nauita. pro, nauta. Virgil. Alituum pecudumq; genus. pro, alitum. Horat. Dos est magna, parentium uirtus. pro, parentum.
    - Consonans, uel
      - Eadem, κατὰ διπλασιασμὸν, seu (ut Donatus) per adiectionem. Virgil. Relligione patrum multos seruata per annos.
      - Diuersa, κατὰ παρέμπτωσιν: ut fit in compositione uerborum suauitatis gratia, ad uitandum earundem uocalium cõcursum. ut Indipiscor, redeo. pro inipiscor, & reëo. Horat. Hic murus aheneus esto. pro, aëneus.
  - Syllaba, κατ' ἐπέκτασιν, ut Homeri interpres nominat: uel κατὰ παρέκτασιν, ut Corinthus. Virg. An tibi Mauors Ventosa in lingua? pro Mars. Lucret. Causidici causas agere, & componere leges, Induperatores pugnare, & prælia obire. pro, Imperatores.
- Προπαράληψις, præaſsũptio, seu adiunctio, cùm ad finem apponitur aut
  - Litera, κατὰ παραγωγὴν, seu per extensionem: ut Achillis, pro Achilli. Hoc rarum apud Latinos est.
  - Syllaba, κατὰ προσχηματισμὸν, seu per affigurationem: idq; fit aut
    - Antiquè. Pacuu. Si qua potestur inuestigari uia. pro, potest. Sallust. in Iugurtha: Quicquid sine sanguine ciuium ulcisci nequitur, iure factum sit. pro, nequit.
    - Poëticè, cùm adiectio fit ad infinitiuum. Lucret. 2. Nil adeò magnum est, nec tam mirabile quidquam, Quod non paulatim minuant mirarier omnes. pro, mirari. Hoc postremum Diomedes generis nomine ἐκ παραλλήλου appellat.

DE FIGVRIS ORTHOGRAPHIÆ SECVNDI GENERIS, IN QVIBVS ALIQVID ADIMITVR.

Figuræ quibus dictioni aliquid detrahitur, appellãtur σχήματα ἐλαττωτικὰ: quarum figurarũ etiam tres sunt, tribus prioribus e regione oppositæ:

- Ἀφαίρεσις, Ablatio, seu (ut Charisius) Detractio, qua tollitur de initio dictionis, aut
  - Litera, quæ communi appellatione à Tryphone dicitur ἔνδεια. Virg. Mitto ea, quæ muris bellãdo exhausta sub altis. pro, omitto.
  - Syllaba, κατ' ἄρσιν, ut Corinthus. id est, per abiectionem. Horat. Ieiunus stomachus rarò uulgaria temnit. pro, contemnit.
  - ¶ Obseruandum est, si dictiones sint simplices, rectè dici Aphæresin: ut, Prenestinis (sicut apud Plautum est in Truculento) conia dicitur. pro, ciconia. Et rustico adolescenti apud eundem, Rabo, pro Arrabo. Sin uerba sunt simplicia: rectius dici συναλλαγῶν, de qua postea docebimus.
- Συγκοπὴ, Concisio: uel (ut Helenius) detractio: uel (ut Cicero) imminutio: uel (ut Virgilius) mutilatio, cùm aufertur de medio dictionis aut
  - Litera, uel
    - Vocalis, uel
      - Prope uocalem, κατ' ἐξαίρεσιν, ut Corinthus: uel κατὰ συναίρεσιν, ut uult Seruius. Ouid. Cœlestûm uis magna iubet. pro, cœlestium.
      - Inter consonantes, κατ' ἔκθλιψιν, ut nominat Trypho. Horat. Caldior est, acres inter numeretur. pro, calidior. Virg. Non illis epulæ nocuere repostæ. pro, repositæ. Ouid. Turpe putas abici, quia sit miserandus, amicum. pro, abijci. Catul. Regium adepta es Coniugium, quo non fortius ausit alis? pro, alius.
    - Consonans, uel
      - Eadem, κατὰ παρέκθλιψιν: ut in pronomine Ille, prima consonans liquida tollitur apud Comicos.
      - Diuersa, κατὰ προσδιαίρεσιν: uel, ut interpres Lycophronis, κατ' ἐκβολήν. Virg. Matrisq; uocauit Nomine Casmillæ mutilata parte, Camillam.
    - Vocalis consonansq; simul, κατ' ἔκθλιψιν, quod fit in mensione uersuum: ut in figuris de Prosodia mox dicetur.
  - Syllaba, quæ generali nomine appellatur συγκοπὴ, & à Corintho ἔνδεια, eaq; uel est
    - Vsitata, cùm adhibetur suauitatis gratia: ut, Amassem. pro, amauissem.
    - Poëtica, quæ usurpatur propter uersum. Terent. in Phor. Commorat omnes nos. pro, cõmouerat. Ouid. 2. Amor. Roma nisi immensum uires promosset in orbem. pro, promouisset. Virg. 11. Cætera, quâ iusso, mecum manus inferat arma. pro, iussero.
- Ἀποκοπὴ, amputatio, seu resectio, cùm adimi- ... tur de fi-
  - Litera, uel
    - Vocalis, uel
      - Vsitatè. Horat. Est inter Tanaim quiddam, socerumq; Viselli. pro, Visellij.
      - Non amplius usitatè, ut apud uetustißimos. Pacuu. Haud facul fœminam inuenias bonam. pro, facilè. Titinnius in Prælia: Ne date illi biber, iracunda est. pro, bibere. Catul. in Epig. Inger mî calices amariores. pro, ingere. Hoc uicio laborant κελεύεται,

tur de fine, aut
- Consonans. Terent. Archonidi filiam. pro, Archonidis. Varro apud Non. Qui te plus urget: pisces ut sæpe minutos Magnu' comest, ut aues enecat accipiter. Magnu' pro magnus.

Syllaba, idq; fit uel κατὰ
- Συναίρεσιν. Virg. 9. Venatu inuigilant pueri. pro, uenatui.
- Ἀπόστροφον. Idem 6. Viden' ut geminæ stent uerticæ cristæ? pro uides ne.

DE FIGVRIS ORTHOGRAPHIÆ TERTII GENERIS, IN QVIBVS IMMVTATVR ALIQVID.

Figuræ quibus in dictione immutatur aliquid, τὰ ὑπερθετικὰ σχήματα quæ uocantur, tres sunt:

- Μετάθεσις, trāspositio, seu (ut Donatus & Fabius) transmutatio, seu (ut Diomedes) trāslatio: est aut
  - Literæ unius, κατ' ἐνάλλαξιν, per immutationem: ut, Pistris pro Pristis, ἀπὸ τοῦ πρίζειν. Codrus pro Cordus: Ius, pro Vis.
  - Literarum plurium, κατ' ἀναγραμματισμὸν, qui fit uel
    - Καθ' ὑπέρθεσιν ἢ ὑπερβιβασμὸν, per traiectionem: ut, Aurelius, Valerius: Iulia, Liuia: Interim, Mentiri: Laudator, Adulator.
    - Καθ' ἀνάκαμψιν, per inuersionē, cùm omnes retrò aguntur literæ: ut, Amor & Roma, Laban & Nabal.

  His figuris latini non utūtur, nisi risus gratia: sæpe accidunt errore aut casu.

- Ἀντίθεσις, seu (ut Diomedes) commutatio, est literæ pro litera collocatio. Aut
  - Vocalis, quod fit uel κατ' ἀντίστοιχον, ut Seruius nominat: uel κατὰ μετάληψιν, ut Pindari: uel κατὰ μετασχηματισμὸν, ut Homeri interpres: id est (ut Donatus) per immutationem. Virgil. Olli remigio noctemq; fatigant. pro, illi. Idem: Impete nunc uasto, ceu concitus imbribus amnis. pro, impetu.
  - Consonantis, κατὰ τροπὴν, per conuersionem, qua ueteres usi, ut Festus annotauit, Fœdus pro hædus, folus pro holus dixerunt. Hæc nunc adhibetur aut
    - Suauitatis gratia: ut pro Magaribus Pœnorum, Magalia dixit Virgilius: pro Iccirco, mollius scribunt Idcirco peritiores.
    - Irrisionis causa. ut, Hirrum quendam, Hillum appellat ad Curionē Cicero: & Tiberius Nero, per risum Biberius Mero appellatus fuit.

- Τμῆσις, seu sectio, cùm dictio aliqua diuiditur, & conuulsu quasi dislocatur. ea tantùm fit per syllabas, aut more
  - Vsitato: ut in cōpositis ὑπερθέσει seu interpositione alterius partis orationis. Virgil. Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet, Quo res cunque cadant. pro, quocunque. Idem 9. Hanc ego nunc ignaram huius quodcunque pericli est, Inq; salutatam linquo. pro, insalutatam.
  - Non amplius usitato: ut in dictionibus simplicibus, καταῤῥήξει seu conuulsione dictionis integræ. Enn. Saxo cere comminuit brum. pro, cerebrum. Et è recentioribus quidam, Luci quæ scripserat Anus. pro, Lucianus. Hoc imitandum non est.

DE FIGVRIS PROSODIÆ PRIMI GENERIS.

Figuræ quibus aliquid resoluitur, contrahiturq́;, sunt duæ, et propriæ τῶν φωνηέντων καὶ τῶν διφθόγγων, quæ ad uocales & diphthongos pertinent:

- Διαίρεσις (quæ alijs nominibus διάζευξις & διαχώρησις nominatur, id est diuisio: uel, ut Donatus, discißio) est distractio uel
  - Vocalium coniunctorum, quod fit διαλύσει, id est (ut Seruius) dissolutione. Horat. 13. Epod. Niuesq́; deducunt Iouem Nunc mare, nunc siluæ. pro, siluæ. Seneca in Troad. Misit infestos Troiæ ruinis. pro, Troiæ.
  - Diphthongorum, quod fit ἀναλύσει, seu resolutione. Virg. Purumq́; reliquit Æthereũ sensum, atq; aurai simplicis ignẽ. pro, auræ.
- Συναίρεσις, seu contractio, seu (ut Donatus) cõglutinatio, quæ alijs nominibus ἐπίζευξις, συμφώνησις, συνεκφώνησις, & συναλοιφὴ apud Fabium, est uocalium inter se complexio & coitus. Hæc fit aut κατὰ
  - Συνίζησιν, per compreßionem, cùm ponũtur pro una syllaba longa, uel
    - Duæ breues. Virg. Nec tantum Rhodope miratur & Ismarus Orphea.
    - Breuis & longa. Idem: Dat Salio, uillis onerosum atque unguibus aureis.
  - Ἐπισυναλοιφὴν, per complexionem, cùm facienda contractio est, quia ponuntur in carmine pedes improprij, attamen cognati atque æquales. Pers. Non prætoris erit stultis dare tenuia rerum Principia. Horat. Vehemẽs & liquidus, puroq́; simillimus amni. Proceleusmaticus in priore exemplo fit resolutione spondei: anapæstus in altero inuersione dactyli.
  - Κρᾶσιν, per commixtionem, cùm facienda contractio est, quia ponuntur pedes alieni μὴ συγγενεῖς, & qui ab Hermogene appellantur ἀνόμοιοι. Virg. Vna eademq́; uia sanguisq́; animusq́; sequuntur. Prop. Eosdem habuit secum, quibus est elata capillos: Eosdem oculos, lateri uestis adusta fuit. Lucret. Et sonitu sterilia, & succo ieiuna feruntur.

DE FIGVRIS PROSODIÆ SECVNDI GENERIS.

Figuræ quibus excluditur aliquid, itidem sunt duæ, & propriæ τῆς ἀναγνώσεως, id est, lectionis seu pronunciationis:

- Συναλοιφὴ, collisio, seu (ut Quintilianus) complexio, seu (ut nonnulli) extrusio & detritio, est abiectio uocalis propter aliam sequentem. Mart. Sera nimis uita est crastina, uiue hodie.
- Ἔκθλιψις, elisio seu exclusio, est uocalis cum consonante abiectio propter uocalem sequentem. Idem: Illud quod medium est, atque inter utrunque, probatur.

DE FIGVRIS PROSODIÆ TERTII GENERIS.

Figuræ quibus ali- ... quid immu-

- Διαστολὴ (quam Sisenna extensionem, Helenius productionem uertit) est, cùm sylla-ba natura breuis protrahitur, idq́; fit aut
  - Nulla mutatione literæ, κατ' ἔκτασιν, id est, per porrectionem, seu (ut Donatus) per extensionem. Ouid. Ferrum Diana uolanti Abstulerat iaculo. Horat. Nec fortuitum spernere cespitem Leges sinebant.
  - Mutatione literæ, κατὰ τροπὴν. Virg. Venit & Vpilio, tardi uenere bubulci.

quid immu-

quid immutatur, totidē sunt, & propriæ τ̃ χρόνου, quia spacio atq; correptione fiunt:

- Συστολὴ, seu correptio est, cùm syllaba natura longa pro breui ponitur: idq; fit aut
  - παρὰ φύσιν, contra naturam, ut in
    - Coniugatione. Horat. Quouis sermone molestus Communi sensu planè caret, inquimus. pro, inquīmus.
    - Præteritis. Idem: Dij tibi diuitias dedĕrunt, artemq; fruendi. pro, dedērunt.
    - Secunda persona quartæ. Prop. Me soror, & cum qua dormis amica simul.
    - Gerundijs. Tibull. Aufer & ipse meum pariter medicando dolorem.
    - Aduerbijs. Stat. Serò memor thalami.
  - Κατ' ἀφαίρεσιν, ademptione literæ: ut in diphthongis, cùm altera uocalis tollitur. Virg. Prima Syracosio dignata est ludere uersu. Idem: Cùm subito assurgens fluctu nimbosus Orion. Hîc ου diphthongus amittit υ.
  - Κατὰ τροπὴν, mutatione literæ, cum breuis pro longa ponitur. Lucan. Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo. Hîc ω mutatur in ο.

DE FIGVRIS VERBORVM COMPOSITORVM.

Figuræ uerborum simplicium ac compositorum differunt inter se multis modis:

- Materia, quòd primum genus unius uocis est, alterum totius orationis.
- Collocatione. Figuræ enim uerborum simplicium & natura & doctrina, figuris compositorum anteferuntur.
- Partibus artis. Figuræ uerborum simplicium sunt Orthographiæ & Prosodiæ: coniunctorum, ad Etymologiam & Syntaxin pertinent.
- Forma: quam differentiam innuit Priscianus, ut cùm distinguit Apocopan ab Ellipsi: illam ait tollere literam & syllabam, hanc uerò dictionem aut orationem.
- Vsu. Figuræ uerborum simplicium sunt Poëtis familiarissimæ, quibus utuntur necessitate, propter carmen. Verborum coniunctorum non Poëtarum modò sunt, sed et aliorum Scriptorū, quas adhibent ad uitandam εὐτέλειαν seu ἰδιωτισμὸν, seu (ut Hermogenes appellat) λόγον μονοειδῆ; ne planè simplex & rustica sit oratio: sed aut uarietatis, aut ornatus, aut iucunditatis aliquid habeat.

Figuræ uerborum coniunctorum τ̃ συνθέτων καὶ συμπεπλεγμένων, diuiduntur εἰς

- Σχήματα, & sunt Syntaxis.
- Τύπους,
- Τρόπους, } & sunt Etymologiæ.

DE FIGVRIS SYNTAXIS.

Figuræ Syntaxis, σχήματα τ̃ λόγου, nominantur ab Aristotele ἐξαλλαγαὶ, hoc est, commutationes, cùm à consuetudine uulgari, & præceptis communibus receditur. Hæc uersantur circa quantitatem. nam uel propter plus minus ue, uel propter locum, regulæ usitatæ non obseruantur: quæ res ἀνακολουθίαν parit in sermone populari, uel abundantia & inopia, uel immutatione & traiectione insolita. Syntaxis autem figuras præposuimus figuris Etymologiæ, imitati ueteres: quia superioribus figuris connectuntur commodius, & sunt propriè tractationis Grammaticæ: Etymologiæ autam, etiam cum Rhetore communicant.

FIGVRARVM SYNTAXIS PARTITIO GENERALIS.

Figuræ Syntaxis, seu uerborum compositorum, quinque in uniuersum sunt generum. Aut enim in oratione aliquid

- Subauditur, καθ' ὑπόνοιαν: quò pertinent
  - Πρόληψις.
  - Σύλληψις.
  - Ζεῦγμα.
- Immutatur, κατ' ἐναλλαγὴν, quod fit commutatione uel
  - Partium atque accidentium omnium, cuiusmodi est Ἐναλλαγή.
  - Certorum aliquot accidentium, generis uidelicet & numeri, quales sunt
    - Appositio, seu πρόσθεσις.
    - Σύνθεσις.
  - Vnius tantùm accidentis
    - Casuum: ut, Ἀντίπτωσις.
    - Personarum: ut, Euocatio, seu ἐπεξήγησις.
- Abundat, κατὰ πλεονασμὸν: quod fit aut
  - Superfluitate, quales sunt
    - Πλεονασμός.
    - Παρέλκον.
    - Πολυσύνδετον.
  - Repetitione, qualis est Παλιλογία.
  - Interiectione, quales sunt
    - Παρένθεσις.
    - Ἐπεμβολή.
- Desideratur, κατ' ἔνδειαν: quod fit aut
  - Consuetudine.
  - Ratione.
  - Affectu.
  - Vehementia.
  - Aliqua consequentia.
  - Quò pertinet
    - Ἔλλειψις.
    - Ὑπόνοια.
    - Ἀποσιώπησις.
    - Ἀσύνδετον.
    - Ἀνακόλουθον.
- Traijcitur, καθ' ὑπέρβατον: aut cùm
  - Traijciuntur simplicia uerba: quales sunt
    - Ὕστερον πρότερον.
    - Ἀναστροφή.
    - Διακοπή.
  - Tota compositio orationis inuoluitur: quò pertinẽt
    - Ὑπέρβατον.
    - Σύγχυσις.
  - Sententiæ transponuntur, quales sunt
    - Ὑπαλλαγή.
    - Ὑστερολογία.

DE FIGVRIS SYNTAXIS PRIMI GENERIS, IN QVIBVS ALIQVID SVBAVDITVR.

Figuræ constructionis in quibus aliquid subauditur, sunt tres: Prolepsis, Syllepsis, & Zeugma. Illa subauditio fit non ἐλλείψει, ita ut omnino desit pars necessaria: sed fit ἐπαναφορᾷ, id est, repetitione eius quod positum seu assumptum est.

DE PROLEPSI.

Πρόληψις, *id est (ut Diomedes) præsumptio: ut Priscianus, præceptio, est duplex:*

- Vna, *quæ uarietatem admittit* ἐξαλλακτικὴν: *quæ appellari solet Prolepsis locutionis, in qua totum quod diuidendum est, præponi solet aut*
  - Vsitatè, κατὰ πλαγιασμὸν, *ut Hermogenes appellat, cùm uidelicet casum præponimus obliquum, secundum regulam partitionis suprà annotatam. Vt cùm dico, Philosophorum alij sunt Stoici, alij Peripatetici, alij Epicurei.*
  - Minus usitatè, κατ' ὀρθωσιν, *cùm genitiuus mutatur in casum rectum. ut cùm dico, Philosophi alij sunt Stoici, alij Peripatetici, alij Epicurei.*
  - Totum *quod præponitur, aut præponitur numero*
    - Plurali, *ut in exemplo modò allato.*
    - Singulari, *si sunt nomina collectiua: ut, Pars adolescentũ bonas literas colunt, pars indulgent ocio & uoluptatibus.*
- Altera, *quæ intellectionẽ habet* ὑπονοητικὴν, *uerbi uidelicet antecedentis, quæ appellari solet prolepsis constructionis, in qua totũ in partes diducitur: & in singulis partibus idem quod de toto dictum est, ad absoluendam sententiam, resumptione repetitur. Hæc igitur constat uel ex*
  - Totius *cõgregatione, uel collectione* ἐκ τῆς προτάσεως.
  - Partitione *uel determinatione,* ἐκ τοῦ μερισμοῦ.
  - Prolepsis *autem duorũ est generum,*
    - Expressa, ἐντελής, *in qua mutatur numerus tãtùm, in eaq;* ἡ πρότασις *uel*
      - Præponitur, *cum repetitione uerbi antecedentis. Virg. in Buc. Compulerantq; gregem Corydon & Thyrsis in unum: Thyrsis oues, Corydon distentas lacte capellas.*
      - Consequitur, *cum assumptione aliorum uerborum. Idem in 12. Continuò reges ingenti mole * Latinus Quadrijugo uehitur curru (cui tempora circum Aurati bis sex radij fulgentia cingunt: Solis aui specimen) bigis it Turnus in albis. Hinc pater Æneas (Romanæ stirpis origo) Et iuxtà Ascanius (magnæ spes altera Romæ) * Procedunt castris.*
    - Implicita, ἀτελής, *in qua mutatur non tantùm numerus, sed etiam persona: neque uerbum antecedens repetitur simpliciter, sed resoluitur. Terent. in Adel. Curemus æquam uterque partem, tu alterum, ego item alterum. Resoluitur hoc modo: Tu alterum cura, ego alterum curabo: mixta autem in hoc exemplo est cum Prolepsi Syllepsis.*

DE SYLLEPSI.

Σύλληψις, seu cōprehēsio, uel (ut Priscianus) conceptio est, cùm de uarijs subiectis unum aliquod prædicatur, quod desideratū in altero resoluēdo repetitur, sed accidēte diuerso. Nomen habet ἀπὸ τοῦ συλλαμβάνειν, id est, à comprehendendo: quia enim accidens aliquod mutat, in se comprehendit σύλληψιν: & quia ex subauditione repetit, etiam ἔλλειψιν. Quamobrem prudenter Seruius: Nulla Syllepsis est, inquit, quæ non & casum mutet, & egeat subauditione. Ea distinguitur modis tribus:

- Generibus: Syllepsis omnis aut est
  - Simplex, cùm omnia genera paria sunt. Vt apud Horat. Eupolis, atq; Cratinus, Aristophanesq; poëtæ.
  - Varia cùm sunt diuersi genera, et id quod prædicatur digniori respōdet. Vt si dicam: Alceus, Sappho, & Alcman sunt poëtæ Lyrici antiqui. Nam resoluendo esset dicendum, Alcæus poëta est, item Alcman, Sappho poëtria.
- Forma: Syllepsis omnis aut est
  - Aperta, φαινομένη, cùm aut adiectiuū unū pluribus substātiuis, aut unum uerbū pluribus nominibus ita est additū, ut semper respondeat digniori: quod in exemplis eregione positis apparet.
  - Minus aperta, καινοπρεπὴς, quæ nouitate aliqua decora est: ut cùm fit accidētis mutatio, & quod subauditur repetendū pluribus est. Virg. Vos ô Calliope precor aspirate canenti. Quasi dicat: Vos ô Musæ aspirate, & tu Calliope Musarum princeps aspira.
- Connexione: Aperta enim Syllepsis aut est
  - Directa, εὐθεῖα, cùm per coniunctiones copulatiuas nomina connectuntur: ut, Ego & tu ibimus deambulatum: Pallas & Neptunus ædificarunt Athenas.
  - Indirecta, πλαγία uel ἀντεστραμμένη, cùm connectuntur nomina per præpositiones: ut, Ego tecū ibo deambulatū: Pallas cū Neptuno Athenas ædificauit.
  - Hæc poëtica est, & tātùm in casib. fieri solet. Virg. Remo cū fratre Quirinus Iura dabunt. Ouid. Vel Hectora fratrē, Vel cū Deiphobo Pulidamanta roga. Sil. Necnō cum Venetis Aquileia perfurit armis. Cic. I. Tusc. Dicæarchū uerò cū Aristoxano æquali et cōdiscipulo suo doctos sanè homines omittamus.

Syllepsis (ut in libello de Schematibus Donatus scribit) fieri solet uel per

- Partes orationis. Vel cùm
  - Casus diuersus repetendus est: ut cum uerbis dissimilibus additur casus, qui uni tantùm respondeat. Vel in primo commate. Terent. in And. Quamobrem abs te oro & postulo Chreme. pro, te oro, & abs te postulo. Vel in secundo commate. Idem in Adel. Verùm si augeam, aut etiam adiutor sim eius iracundiæ. id est, si augeam iracundiam, aut adiutor sim iracundiæ.
  - Casus diuersus intelligendus est. Virg. in Geor. Nec semine iacto Concretam patitur radicem affigere terræ. id est, nec semen patitur.
- Accidentia partium orationis, siq́; modis tribus: uel per
  - Genera, si substantiua rerum sunt
    - Animatarū tunc adiectiuum respōdet digniori, uel nomine
      - Expresso. Ouid. Mulciberis capti Marsq́; Venusq́; dolis.
      - Suppresso. Idem: Implicuti laqueis nudus uterque iacet.
    - Non animatarum: tūc adiectiuū, uel quod adiectiui loco ponitur, nulli respondet, sed uniuersis in neutro genere addi solet. Cic. in Off. Regna, imperia, nobilitates, honores, diuitiæ, opes, in casu ita sunt. Idem de Orat. Genus, forma, uires, opes, diuitiæ, cæteraq; quæ fortuna dat, aut extrinsecus, aut corpori, non habent in se ueram laudem.
  - Numeros: uel cum
    - Antecedentibus singularibus uerbum adijcitur plurale. Cic. in Pison. Sua quenque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia, de mente ac sanitate deturbant.
    - Antecedenti plurali uerbum adijcitur singulare. Terent. in Eunuch. Adeon' homines immutarier ex amore, ut non cognoscas eundem esse?
    - Antecedentibus singularibus pluralibusq; uerbum apponitur plurale. Liu. Cùm terra Nabis Lacedæmonijq;, mari Romana classis urgebant.
  - Personas, uel numero
    - Retento. Cic. Penè ille timore, ego risu corrui.
    - Eodem non retento. Virgil. Egregiā uerò laudem & spolia ampla refertis Tuq; puerq; tuus.

DE ZEVGMATE.

Ζεῦγμα (quod à Prisciano modò Adiunctio, modò Coniunctio uertitur) est, cùm uno uerbo plures comprehēdimus sententias. Hæc figura à Græcis interpretibus, & ab Asconio Pædiano, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ nominatur, quia in clausulis similibus aliquid commune positum in una, in alijs immutatum desideratur. Habet autem diuisionem quadruplicem: unam quæ ad qualitatem, alteram quæ ad materiam, tertiā quæ ad ordinē, postremam quæ ad consequentiā pertinet.

- Prima diuisio τεχνική, in qua iudicatur de adiunctionis qualitate. aut enim
  - Vni uerbo plures adduntur clausulæ, quod uerbum in singulis absq; mutatione repetendum est. Cic. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.
  - Substantiuis pluribus unum adijcitur
    - Nomen adiectiuū, quod respondet propiori. Virg. Æneas urbe, & socijs, & classe relicta.
    - Verbum, quod propinquiori eodem modo respondet. Ouid. Tityrus, & segetes, Æneiaq; arma legentur, Roma triumphanti dum caput orbis erit.
- Altera ὑλική, in qua agitur de materia, in quibus uidelicet accidentibus Zeugma fiat. Fit autem in his quatuor:
  - Genere. Terent. Vtinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit.
  - Numero. Ouid. Cùm mea sint illo currus & arma loco.
  - Persona. Horat. Tu quid ego & populus mecum desideret, audi.
  - Casu. Teren. Si illum minus norat, quippe homo iam grandior, pauper.
- Tertia diuisio τακτική, in qua de uerbi aut nominis positu agitur. Positus cùm fit in
  - Initio, appellatur πρόζευγμα ἢ πρωτόζευγμα, ἢ ζεῦγμα τοῦ ἡγουμένου. id est, Adiunctio (ut Terentij interpres) à superiore. Virg. Sunt nobis mitia poma, Castaneæ molles, & pressi copia lactis.
  - Medio, nominatur μεσόζευγμα, ἢ σύζευξις, ἢ ζεῦγμα τοῦ μέσου. hoc est, interpositū (ut Seruius) à medio, uel (ut idem) utriusq; lateris. Virg. Caper tibi saluus, & hœdi.
  - Extremo, dicitur ὑπόζευγμα, ἢ ὑστερόζευγμα, ἢ ζεῦγμα τοῦ ἑπομένου. id est, subiunctio ab inferiore, seu posteriore. Horat. Non Torquate genus, non te facundia, non te Restituet pietas.
- Postrema diuisio ἀνακολουθητική, in qua consideratur consequentia. aut enim idē uerbum
  - Vbique subauditur. Virg. Troiugena interpres Diuûm, qui numina Phœbi. Qui tripodas Clarij, lauros, qui sidera sentis.
  - Non subauditur, sed alienum atque diuersum asciscitur. Idem: Disce puer uirtutem ex me, uerumq; laborem: Fortunam ex alijs. In extremo, non disce fortunam: sed Opta, aut experire, aut quid aliud consentaneum, est subintelligendum.

DE FIGVRIS SYNTAXIS SECVNDI GENERIS, IN QVIBVS ALIQVID IMMVTATVR.

DE ENALLAGE.

Ἐναλλαγὴ (quæ ab Aristotele in Rhetoricis ἐξαλλαγὴ, à Diomede παραλλαγὴ, à Quintiliano ἑτέρωσις, à Prisciano ἀλλοίωσις dicitur, uerti potest Commutatio uel Alteratio: uel, ut Charisius, transmutatio: uel, ut Priscanus, uariatio) est, cùm aut pars orationis, aut accidens aliquod immutatur.

DE PARTE ORATIONIS.

- Pars orationis cùm mutatur, nomine proprio appellatur ἀντιμέρεια, & à quibusdam ἀντι-
  - Declinabilis accipitur pro
    - Declinabili, ut
      - Nomen, loco
        - Pronominis. Terent. in Eun. Quantam & quàm ueram laudem capiet Parmeno? id est, ego.
        - Participij. Virg. 1. Æn. Hinc populum latè regē, belloq; superbum. pro, latè regentem.
        - Gerundij. Idem: Non metus, officio nec te certasse priorem Pœniteat. pro, non metuendum est.
      - Pronomen, loco
        - Nominis. Ouid. in Hero. Tam faciles unde Deosq; meos? id est, mihi propitios. Terent. in Adel. Paulatim plebem primulùm facio meam. id est, mihi fauentem.
        - Aduerbij. Ouid. in Arte: Iunge tuum lateri, quà potes usq;, latus. id est, quoad. Terent. in Hec. Capiti atq; ætati illorùm morbus qui adauctus fiet. Qui, id est, unde.
      - Verbum, loco
        - Nominis. Cic. in Parad. Ipsum quidem peccare, quoquò te uerteris, unum est. pro, peccata sūt uniusmodi.
        - Gerundij. Ouid. 5. Met. Auidi committere pugnam. pro, committendi.
      - Participium, loco
        - Nominis. Virg. Pictis conspectus in armis. pro, conspicuus.
        - Verbi. Ouid. Omnia sunt hominum tenui pendentia filo. pro, pendent.
      - Nomē, loco
        - Aduerbij. Terē. Memini, tametsi nullus moneas. pro, nō. Tib. Deponit flauas annua terra comas. pro, annuatim. Iuuen. Qui Curios simulant, & bacchanalia uiuunt. pro, βακχικῶς.
        - Præpositionis. Cic. in Catone Maiore: Quid tam secundum naturam, quàm senibus emori? pro, naturæ tam conueniens?
        - Interiectionis. Horat. 2. Car. Cùm fracta uirtus, & minaces (Turpe) solum tetigere mento.
      - Verbum, loco interiectionis. Terent. in Eun. Obsecro an is est? Idem in Heaut. Hui tam graues hos quæso? Idem: Id amābo adiuta me.

κατάλλαξις. Hæc autem fit, uel cùm pars

Pronomen *loco coniunctionis.* Terent. in Hec. *Id quod me derepentè aspexerant. Id, ob id, uel propterea.* Cic. *Terentiæ: In uiam quod te des hoc tempore, nihil est. Quod, propter quod, uel quare.*

Participium *loco aduerbij.* Virg. *Quò ruitis? quæ tanta repens discordia uenit? pro repente.*

Non declinabilis ponitur pro

- Declinabili. ut
  - Aduerbium loco
    - Nominis. Terent. in Hec. *Viris esse aduorsas æquè studium est. pro, æquale.* Idem in Adel. *Mea est sic ratio. pro, eiusmodi.* Tibul. 1. *Hunc maris & lethi mille repentè uiæ. pro, uiæ repentinæ.*
    - Pronominis. Plaut. in Sticho: *Si quis me quæret, inde uocatote aliqui. Inde, id est, à maiore filia.*
  - Præpositio *loco uerbi.* Virg. *Nec fuga iam super ulla pericli. pro, superest.*
  - Coniunctio *loco nominis.* Cic. de Optimo genere oratorum: *Eum donari uirtutis ergô, beneuolentiæq; . pro, causa uirtutis & beneuolentiæ.*
- Nō declinabili.
  - Aduerbium *loco coniunctionis.* Virg. 2. Æn. *Vnà ingens Periphas, & equorum agitator, Achillis Armiger Automedon, unà omnis Scyria pubes Succedunt tecto.*
  - Præpositio *loco aduerbij.* Virg. *Tu contrà audentior ito, Quàm tua te fortuna sinet.*
  - Coniunctio *loco aduerbij.* Terent. in Adel. *Cùm placo, aduersor sedulò & deterreo. pro, quando.*

¶ *Interdum miscetur aut geminatur horum aliquod, estq; Enallage in uno uerbo duplex.* Virg. 3. Æn. *Dum trepidi, crudelia limina linquunt. trepidi, pro trepidantes: & trepidantes, pro trepidàter.* ἐναλλαγὴ μετοχικὴ *primùm nomen pro participio, deinde participium pro aduerbio. In his autem mutationibus obseruandum est, quid sit usitatum, quid minus nunc usitatum, & quid planè poëticum.*

DE PARTIVM ACCIDENTIBVS.

- **Partium accidentia, cùm mutantur, id ἐναλλαγὴν & ἀλλοίωσιν reuera nominari uolunt. Porphyrio maluit circumloqui, qui non dicit ἐξαλλαγὴν τοῦ ἀριθμοῦ ἢ τοῦ γένους, sed σχῆμα παρ' ἀριθμὸν ἢ παρὰ γένος: & eodē modo Charisius, Schema per numerū, aut schema per ge-**
  - Non declinabilium, *quæ suprà appellauimus* κατάχρησεις, *ut cùm aduerbium loci sumitur pro aduerbio temporis: & contrà: item coniunctio copulatiua pro disiunctiua, & contrà.*
  - Declinabilium, *quæ nunc appellabimus* ἐναλλαγὰς, *sicuti re-*
    - Nominibus, *ut cùm mutatur*
      - Qualitas
        - Substātiuum *loco adiectiui. Prop. Inter quas Danai fœmina turba senis. pro, fœminea.*
        - Adiectiuum *loco substantiui. Ouid. Hæc quoq; uirgineum mouit iactura dolorem. pro, uirginis.*
      - Casus. *Virg. Et uocem Anchisæ magni uultusq; recordor. pro, uocis & uultus. Idem: Sensit medios dilapsus in hostes. pro, se esse dilapsum.* *De hoc plura in Antiptosi.
      - Declinatio. *ut, Incolumus & incolumis, pauus & pauo.*
    - Verbis, *ut cùm mutatur*
      - Persona
        - Secunda *pro tertia. Virg. 4. Æn. Migrantes cernas, totaq; ex urbe ruentes. pro, cerneret aliquis.*
        - Tertia pro
          - Prima. *Terent. in And. At nunc faciet: neque, ut opinor, sine tuo magno malo. pro, nunc faciam.*
          - Prima & secunda. *Idem in Eun. Plurima salute Parmenonē sūmū suū impertit Gnatho. pro, ego te salute impertio.*
      - Modus
        - Indicatiuus *pro coniunctiuo. Virg. 2. Æn. Si mens non læua fuisset, Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras. pro, impulisset.*
        - Imperatiuus *pro coniunctiuo. Terent. in Hec. Si sanus sies, iube eam redire. Iube, pro iubeas.*
        - Infinitiuus *pro indicatiuo. Idem: Instare, orare, donec perpulit. pro, instabat & orabat.*
      - Tempus, *ut præsēs pro*
        - Imperfecto. *Virg. 4. Æn. At regina graui iamdudum saucia cura. Vulnus alit uenis. pro, alebat.*
        - Præterito perfecto. *Idem 3. Ceciditq; superbum Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troia. pro, fumauit.*
        - Præterito plusquàm perfecto. *Idem 6. Arma omnia tectis Emouet, & fidum capiti subduxerat ensem. pro, emouerat.*
        - Futuro. *Idem 1. Progeniē sedenim Troiano à sanguine duci Audierat. pro, ductum iri.*
      - Coniugatio. *ut antiqui pro coniugatione*
        - Prima, Secunda, Tertia: *ut sunt*
          - Vel
            - Secunda producta: *ut, Densare & densēre.*
            - Tertia correpta: *ut, Lauare & lauere.*
          - Tertia: *ut, feruēre et feruĕre.*
          - Quarta: *ut, accersĕre & accersire. itē Potior poteris, et potior potiris.*
      - Numerus
        - Singularis *pro plurali. Liu. Romanus prælio uictor. pro, Romani uictores.*
        - Pluralis *pro singulari. Virg. 12. Et nos tela pater, ferrumq; haud debile dextra Spargimus, & nostro sequitur de uulnere sanguis. Turnus de se uno loquitur.*
        - Certus pro incerto. *Ouid. 3. Trist. O quater & quoties, non est numerare, beatum.*

nus. Sunt autem partium accidentia rursus, uel partium | *ctè appellari uidetur, quæ sunt uel in*

Nominibus & uerbis. ut cùm mutatur

Genus
- Nominis, *ut neutrum loco*
  - Masculini. Terent. in Adel. *In eo me oblecto, solum id est charũ mihi. pro, solus ille est charus.*
  - Fœminini. Virg. *Exercentq; uices, quod cuiq; tuẽdum est. pro, quæ tuendæ sunt.*
- Verbi, *ut*
  - Actiuum *loco*
    - Passiui. Virg. *Tum prora auertit, & undis Dat latus. pro, auertitur.*
    - Neutri. Idem: *Nox humida cœlo Præcipitat.*
  - Passiuum loco actiui. Idem: *Pictis bellantur Amazones armis. pro, bellant.*
  - Neutrum loco actiui. Tibull. 2. *Sed tunc pascebant herbosa palatia uaccæ.*

Figura
- Nominis: *ut cùm dictionem compositam simplicibus circumloquimur. Teren. in Eun. Maximo te orabat opere. pro, maximopere.*
- Verbi, *ut*
  - Simplex *pro composito*. Cic. *Ponit personam amici, cùm induit iudicis. pro, deponit.*
  - Compositum *pro simplici*. Prop. *Sed quoniam non es ueritus concredere nobis. pro, credere.*

Species
- Nominis,
  - Primitiuũ *pro possessiuo*. Virg. 4. Æn. *Non seruata fides cineri promissa Sichæo. pro, Sichæio.*
  - Possessiuum *pro primitiuo*. Ouid. 3. Trist. *Si filius eius Stultus, Achilleos non adamasset equos. pro, Achillis.*
  - Abstractum *pro adiectiuo*. Ter. in Adel. *Tu nihil nisi sapientia es, ille somnium. pro, tu sapiẽs, ille somnolentus.*
  - Distributiuum *pro simplici*. Virg. 1. Georg. *Per duodena regit mundi sol aureus astra. pro, duodecim.*
  - Positiuus *pro*
    - Comparatiuo. Horat. *Ne'ue putes alium sapiente bonoq; beatum. pro, beatiorem.*
    - Superlatiuo. Virg. *Sequimur te sancte deorum, Quisquis es. pro, sanctissime.*
  - Comparatiuus *pro*
    - Positiuo. Virg. 1. Æn. *Tristior, & lacrimis oculos perfusa nitentes. pro, tristis.*
    - Superlatiuo. Ibid. *Scelere ante alios immanior omnes. pro, immanissimus.*
  - Superlatiuus *pro comparatiuo*. Idem: *Iustissimus unus Qui fuit in Teucris, & seruantissimus æqui. pro, iustior & æquior cæteris.*
- Verbi. *Frequentatiuum loco primitiui*. Ter. in Phor. *Non is obsecro es, quem semper te esse dictitasti? pro, dixisti.*

DE PARTIVM ACCIDENTIBVS.

Partium accidentia, cùm mutantur, id ἐναλλαγὴν & ἀλλοίωσιν reuera nominari uolunt. Porphyrio maluit circũloqui, qui non dicit ἐξαλλαγὴν τοῦ ἀριθμοῦ ἢ τοῦ γένους, sed σχῆμα παρ' ἀριθμὸν ἢ παρὰ γένος: & eodẽ modo Charisius, Schema per numerũ, aut schema per ge-

- Non declinabilium, *quæ suprà appellauimus* κατα χρήσεις, *ut cùm aduerbium loci sumitur pro aduerbio temporis, & contrà: item coniunctio copulatiua pro disiunctiua, & contrà.*
- Declinabilium, *quæ nunc appellabimus* ἐναλλαγὰς, *sicuti re-*
  - Nominibus, *ut cùm mutatur*
    - Qualitas
      - Substãtiuum *loco adiectiui.* Prop. *Inter quas Danai fœmina turba senis. pro, fœminea.*
      - Adiectiuum *loco substantiui.* Ouid. *Hæc quoq; uirgineum mouit iactura dolorem. pro, uirginis.*
    - Casus. Virg. *Et uocem Anchisæ magni uultusq; recordor. pro, uocis & uultus.* Idem: *Sensit medios dilapsus in hostes. pro, se esse dilapsum.* *De hoc plura in Antiptosi.
    - Declinatio. *ut, Incolumus & incolumis, pauus & pauo.*
  - Verbis, *ut cùm mutatur*
    - Persona
      - Secunda *pro tertia.* Virg. 4. Æn. *Migrantes cernas, totaq; ex urbe ruentes. pro, cerneret aliquis.*
      - Tertia *pro*
        - Prima. Terent. in And. *At nunc faciet: neque, ut opinor, sine tuo magno malo. pro, nunc faciam.*
        - Prima & secunda. Idem in Eun. *Plurima salute Parmenonẽ summũ suũ impertit Gnatho. pro, ego te salute impertio.*
    - Modus
      - Indicatiuus *pro coniunctiuo.* Virg. 2. Æn. *Si mens non læua fuisset, Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras. pro, impulisset.*
      - Imperatiuus *pro coniunctiuo.* Terent. in Hec. *Si sanus sies, iube eam redire. Iube, pro iubeas.*
      - Infinitiuus *pro indicatiuo.* Idem: *Instare, orare, donec perpulit. pro, instabat & orabat.*
    - Tempus, *ut præsẽs pro*
      - Imperfecto. Virg. 4. Æn. *At regina graui iamdudum saucia cura. Vulnus alit uenis. pro, alebat.*
      - Præterito perfecto. Idem 3. *Ceciditq; superbum Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troia. pro, fumauit.*
      - Præterito plusquàm perfecto. Idem 6. *Arma omnia tectis Emouet, & fidum capiti subduxerat ensem. pro, emouerat.*
      - Futuro. Idem 1. *Progeniẽ sed enim Troiano à sanguine duci Audierat. pro, ductum iri.*
    - Coniugatio. *ut antiqui pro coniugatione*
      - Prima, Secunda, Tertia: *usi sunt*
        - Vel
          - Secunda producta: *ut, Densare & densēre.*
          - Tertia correpta: *ut, Lauare & lauere.*
        - Tertia: *ut, feruēre et feruĕre.*
        - Quarta: *ut, accersĕre & accersire. itẽ Potior poteris, et potior potiris.*
    - Numerus
      - Singularis *pro plurali.* Liu. *Romanus prælio uictor. pro, Romani uictores.*
      - Pluralis *pro singulari.* Virg. 12. *Et nos tela pater, ferrumq; haud debile dextra Spargimus, & nostro sequitur de uulnere sanguis.* Turnus de se uno loquitur.
      - Certus pro incerto. Ouid. 3. Trist. *O quater & quoties, non est numerare, beatum.*

nus. Sun

nus. Sunt autem partium accidentia rursus, uel partium | *ctè appellari uidētur, quæ sunt uel in*

Genus — Nominis, *ut neutrum loco*
- Masculini. Terent. in Adel. *In eo me oblecto, solum id est charũ mihi. pro, solus ille est charus.*
- Fœminini. Virg. *Exercentq; uices, quod cuiq; tuẽdum est. pro, quæ tuendæ sunt.*

Figura
- Verbi, *ut*
  - Actiuum loco
    - Passiui. Virg. *Tum prora auertit, & undis Dat latus. pro, auertitur.*
    - Neutri. Idem: *Nox humida cœlo Præcipitat.*
  - Passiuum loco actiui. Idem: *Pictis bellantur Amazones armis. pro, bellant.*
  - Neutrum loco actiui. Tibull. 2. *Sed tunc pascebant herbosa palatia uaccæ.*
- Nominis: *ut cùm dictionem compositam simplicibus circumloquimur. Teren. in Eun. Maximo te orabat opere. pro, maximopere.*
- Verbi, *ut*
  - Simplex *pro composito. Cic. Ponit personam amici, cùm induit iudicis. pro, deponit.*
  - Compositum *pro simplici. Prop. Sed quoniam non es ueritus concredere nobis. pro, credere.*

Nominibus & uerbis. *ut cùm mutatur*

Species
- Nominis,
  - Primitiuũ *pro possessiuo. Virg. 4. Æn. Non seruata fides cineri promissa Sichæo. pro, Sichæio.*
  - Possessiuum *pro primitiuo. Ouid. 3. Trist. Si filius eius Stultus, Achilleos non adamasset equos. pro, Achillis.*
  - Abstractum *pro adiectiuo. Ter. in Adel. Tu nihil nisi sapientia es, ille somnium. pro, tu sapiẽs, ille somnolentus.*
  - Distributiuum *pro simplici. Virg. 1. Georg. Per duodena regit mundi sol aureus astra. pro, duodecim.*
  - Positiuus pro
    - Comparatiuo. Horat. *Ne ue putes alium sapiente bonoq; beatum. pro, beatiorem.*
    - Superlatiuo. Virg. *Sequimur te sancte deorum, Quisquis es. pro, sanctissime.*
  - Comparatiuus pro
    - Positiuo. Virg. 1. Æn. *Tristior, & lacrimis oculos perfusa nitentes. pro, tristis.*
    - Superlatiuo. Ibid. *Scelere ante alios immanior omnes. pro, immanissimus.*
  - Superlatiuus *pro comparatiuo. Idem: Iustißimus unus Qui fuit in Teucris, & seruantißimus æqui. pro, iustior & æquior cæteris.*
- Verbi. *Frequentatiuum loco primitiui. Ter. in Phor. Non is obsecro es, quem semper te esse dictitasti? pro, dixisti.*

DE APPOSITIONE.

Appositio, *πρόσθεσις, seu ἐπεξήγησις, est duorũ substantiuorũ connexio, quorum alterũ ab altero explicatur aut discernitur. Hæc diuiditur uel secũdum*

- **Formam**, *qua omnis appositio aut est*
  - **Simplex**, *ἑρμηνευτική, cùm unum tantùm substantiuum coniungitur cum altero, declarandi gratia.* Horat. *Et genus & formam regina pecunia donat.* Virg. *Fama malum, quo non aliud uelocius ullum.*
  - **Concinna**, *ἐγκατάσκευος, cùm substantiuo additur noua oratio, illustrandi gratia.* Ouid. 3. de Ponto: *Liuor, iners uicium, mores non exit in altos. Hæc rursus secundum quantitatem aut est*
    - **Vnica.** Horat. 4. Car. *Donarem tripodas, præmia fortium Graiorum.* Propert. 3. *Magna uiri merces parat ultima terra triumphos.*
    - **Duplicata.** Virg. 6. Æn. *Quis Gracchi genus? aut geminos duo fulmina belli Scipiadas, cladẽ Libyæ.* Idem 2. *Equorũ agitator, Achillis Armiger, Automedon.*
- **Tractationẽ**, *qua appositio omnis aut est*
  - **Perfecta**, *ἐμφαντική, quæ respondet genere, numero, & casu.* Virg. 1. Æn. *Troës te miseri, uentis maria omnia uecti, Oramus.*
  - **Imperfecta**, *ἀτελής, in qua fit mutatio*
    - **Generis.** Idem 8. *Hunc tibi præterea (spes & solatia nostri) Pallanta adiungam.* Idem 11. *Hastam cum uirgine, uictor, Gramineo (donum Triuiæ) de cespite uellit.*
    - **Numeri**, *uel cùm ponitur cum*
      - **Simplice** *collectiuum.* Ouid. *Turba ruunt in me luxuriosa proci.*
      - **Integro** *defectiuum.* Virg. *Corydon ardebat Alexin, Delicias domini.*
  - **Imperfectissima**, *ἀτελεστάτη, cùm fit mutatio casus.* Virg. 3. Æn. *Immemores socij, uasto Cyclopis in antro Deseruere: domus sanie dapibusq; cruentis Intus opaca, ingens. Rectum erat, in antro deseruere, domo uidelicet opaca & ingente.*

¶ *Appositionem nõnulli subijciunt ἐλλείψει nam cùm simplex est, subintelligi uolunt participium. ut, Regina pecunia: scilicet existens. Nonnulli referunt ad ἑρμηνείαν, cùm adiectione aliqua adhibetur quasi interpretatio sententiæ, ut in reliqua huius figuræ distinctione est cernere.*

DE SYNTHESI.

Σύνθεσις seu compositio est, cùm ratio habetur non uocũ aut uerborũ, sed sententiæ & intellectus. Hæc quoque est aut

- Simplex, quæ fit in uno aliquo accidente, ut in
  - Genere, quando id mutatur uel
    - Κατ' ἔλλειψιν, quia subintelligitur aliquid. Virgil. Centauro inuehitur magna. Supple, naui.
    - Κατ' ἀντιμέρειαν, quia pars orationis mutatur. Idem: Pars arduus altis Puluerulentus equis furit. Pro, partim furiunt.
    - Κατὰ μερισμόν, quia propter distributionem fit mutatio. Idem: Æratasq; acies in prælia cogit, Quisque suos, pro, suam aciem.
    - Καθ' ὕλην, cùm sumitur materialiter relatio. Terent. in Heaut. Vel uirtus tua me, uel uicinitas (quod ego in propinqua parte amicitiæ puto) facit, ut te audacter moneam. Quod, pro quam uirtutem uel uicinitatem.
  - Numero, cùm ad nomen collectiuũ aut partitiuum singulare, adijcitur uerbũ plurale.
    - Ad nomen collectiuum. Virg. Triplici pubes quam Dardana uersu Impellunt.
    - Ad nomen partitiuum. Ouid. Quò ruitis? uestras quisq; redite domos.

¶ Collectiuorum uim habent etiam propria, cùm uidelicet unum alloquimur & plures intelligimus. Tib. 1. Ibitis Ægæas sine me Messala per undas. Horat. de Arte: Vos ô Pompilius sanguis, carmen reprendite, quod non Multa dies & multa litura coërcuit. Cic. 1. De Orat. Insperanti mihi & Cottæ, sed ualde optanti utriq; nostrûm cecidit, ut in istum sermonem Crasse delaberemini.

- Duplicata, quæ fit in utroq; accidente pariter, & genere & numero. Sallust. Maxima pars uulnerati aut occisi. Virg. 6. Titania pubes Fulmine deiecti fundo uoluuntur in imo.

¶ Synthesin igitur, quia mutationem accidentium habet, alij comprehendunt sub Enallage: quia Subauditionem nonnulli referunt ad Syllepsin.

DE ANTIPTOSI.

Ἀντίπτωσις, quam Priscianus uertit Procidentiam: seu (ut interpres Homeri) παράπτωσις, seu (ut Pindari) μετάπτωσις, est (ut inter-

Casu recto. Casus rectus, πτῶσις εὐθεῖα ἢ ὀρθὴ, cùm pro casibus cæteris usurpatur

Nominatiuus loco

Genitiui. Liu.lib.1.Dec.5. Quando duo ordinarij consules eius anni, alter morbo, alter ferro perijsset. pro, duorum ordinariorum consulũ.

Datiui, quod fit antiquè. Terent. in Hec. Nam nos omnes (quibus est alicunde aliquis obiectus labos) omne quod est interea tempus, priusquàm id rescitum est, lucro est. pro, nobis omnibus lucro est.

Accusatiui. Catull. in Epigr. Phaselus iste quem uidetis hospites, Ait fuisse nauium celerrimus. pro, celerrimum.

Vocatiui. Virg. 1. Æn. Adsis lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno. pro, Bacche.

Ablatiui. Horat. 1. Ser. Occurrunt animæ: quales neque candidiores Terra tulit. pro qualibus.

Vocatiuus loco nominatiui, poëticè. Virg. 2. Æneid. Quibus Hector ab oris Expectate uenis. pro, expectatus.

Casibus obliquis. Casus ob-

Genitiuus, loco

Nominatiui, more Græco, atq; poëticè. Ouid. in Heroid. Nec uehit Actæas Sithonis unda rates. pro, Sithon.

Datiui, etiam more Græco. Horat. 3. Car. Et quà pauper aquæ Daunus agrestium Regnauit populorum. pro, agrestibus populis. * Quæ Marcellus adducit exempla, falsa omnia sunt, & ad ablatiuum pertinent.

Accusatiui, quod fit aut

Antiquè. Afran. in Emancipato: Optandum uxorem, quæ non uereatur uiri. pro, uirum.

Atticè. Lucret. lib. 2. Qualibus in tenebris uitæ, quantisq; periclis Degitur hoc æui. id est, hoc æuum.

Ablatiui, uel more

Græco. Idem: Implentur ueteris Bacchi, pinguisq; ferinæ. pro, ueteri Baccho & pingui ferina.

Antiquo. Varro in Eumenidibus: Ego autem qui essem plenus uini & Veneris, sic desipiebam mentis. pro, mente.

Datiuus, loco

Nominatiui. Virg. At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo. pro, Iulus.

Genitiui. Idem 7. At iuueni oranti subitus tremor occupat artus. pro, iuuenis orantis.

Accusatiui, uel

Communiter. Horat. in Ser. Quò tibi Tulle, Sumere depositum clauum, fieriq; tribuno? pro, tribunum.

Poëticè. Virg. 8. Sic effata facem iuueni coniecit. pro, in iuuenẽ.

More Græco. Terent. in Adel. Facite ut uobis decet. pro, uos.

pres Her-

pres Hermogenis) ἀμοιβὴ τῆς πτώσεως, id est, casus pro altero casu usurpatio. Hæc fit uel in

liqui, αἱ πτώσεις πλαγίαι eandē uarietatem habent: cùm uidelicet ponitur

More antiquo. Varro de uita P. R. Tanta porrò inuasit cupiditas honorum plerisq;, ut uel cœlum ruere, dummodo magistratum adipiscantur, exoptent. pro, plerosq; inuasit.

Ablatiui, uel

- Figuratè. Horat. Corticem astrictum pice dimouebit Amphoræ. pro, dimouebit de amphora.
- Poëticè. Virg. Filius huic Pallas, olli comes ibat Achates. pro, ibat cum hoc, ibat cum illo.

Accusatiuus, loco

- Nominatiui, poëticè. Terent. in Eun. Scin' me in quibus sim gaudijs? pro, ego sim.
- Genitiui. Virg. Horum unum ad medium (teritur quà sutilis aluo Baltheus, & laterum iuncturas fibula mordet) Transadigit costas. pro, unius horum.
- Datiui more antiquo. Lucil. Tu qui iram indulges nimis, manus abstinere à muliere melius est. pro iræ indulges.
- Ablatiui, itidem more antiquo. Titinn. Vti eum oportet libertatem, qui sapit. pro, libertate.

Ablatiuus, loco

- Nominatiui. Ouid. 2. Met. Caucasus ardet, Ossaq; cum Pindo. pro, Ossa & Pindus.
- Genitiui, poëticè. Virg. in Georg. Et acuto robore ualles. pro, acuti roboris.
- Datiui. Idem in 11. Æn. Nec sospite durum Optabis nato funus pater. pro, sospiti.
- Accusatiui. Idē: Quærenti, et tectis urbis sine fine furenti. pro, per tecta.
- Ablatiui, nempe cùm ablatiuus singularis cum plurali iungitur more antiquo. Plaut. in Amph. Nec nobis præsente aliquis nisi seruus adest. Terēt. in Eun. Nescio quid profectò absente nobis turbatum est domi. pro, nobis præsentibus & absentibus. Propert. 3. Miremur, nobis & Baccho & Apolline dextro. pro, dextero mihi.

¶ In hac figura obseruandi diligentißimè sunt ἀρχαϊσμοὶ et ἑλληνισμοί. hoc est, & quid ueteribus tantùm concessum sit, & quid mutuatū à Græcis sit, ut in duo ne incidamus uicia:

- Κακοζηλίαν, dum antiquitatis nimium & cum fastidio studiosi habeamur.
- Σωραϊσμὸν, dum peregrinitatis ineptè amantes uideamur.

Hæc autem casuum uariatio cùm fit

- Vsitatè, appellatur ab Apollonio συμπάθεια: ab Homeri interprete, συγγένεια τῶν πτώσεων. ut cùm dico, Memini huius rei, & hanc rem.
- Inusitatè, refertur uel ad
  - ἀρχαϊσμὸν, si casus antiquus est.
  - ἑλληνισμὸν, si casus alienus.

DE SYNECDOCHE.

Συνεκδοχὴ, seu comprehensio est, cùm id quod partem substantiæ significat, ei cui adiungitur, in casu usitato non respondet. Hæc figura nomine generali dici potest ἑλληνισμὸς, speciali uerò ἀττικισμὸς: quia sumpta tota à Græcis est, & præsertim ab Atticis: apud Latinos in poëtarum tantùm consuetudine mansit. Ea fit uel in

- Nominibus, *uel*
  - Substantiuis, *patriam significantibus. Virg.5. Cressa genus Pholoë. Idem 3. Consertum tegmen spinis, at cætera Graius.*
  - Adiectiuis, *significantibus habitum corporis aut animi. Virg. 12. Oculos horrēda in uirgine fixus. Idē 1. Os humerosq; Deo similis. Horat. 3. Car. Nec Mauris animum mitior anguibus. Virg. 9. Tumidusq; nouo præcordia regno.*
- Verbis. *uel*
  - Neutris. *Virg. in Georg. Micat auribus, & tremit artus.*
  - Paßiuis. *Ouid. in Met. Figitur huic duplici Grynæus lumina ramo.*

¶ *Hæc autem ita exponuntur, ut interdum extrinsecus assumatur præpositio. Virg. Tempora nudus adhuc. pro, secundum tempora. Interdum uerò resoluendo, uerbum addatur aliquod. Horat. Miles ait, multo iam fractus membra labore. pro, habens membra labore fracta.*

DE EVOCATIONE.

Euocatio, *quæ à recentibus tradita Grāmaticis est, & à Græcis non annotata, à Seruio appellatur ἐπεξήγησις, & subijcitur appositioni. Est autem Euocatio, cùm pronomen primæ aut secundæ personæ præponitur nomini substātiuo personæ tertiæ. Hæc aut*

- Integra *est ἐξηγητικὴ, quæ expressam personam habet. Virg. Nos animæ uiles, inhumata infletaq; turba Sternamur campis. Idem: Vos ô mihi manes Este boni.*
- Defectum *habet, ἐλλειπτικὴ, in qua persona nō exprimitur. Horat. Iactamus iampridem omnis te Roma beatum. Virg. Coràm quem quæritis adsum, Troïus Æneas. Hæc fit, uel*
  - Eodem
    - Numero. *Ouid. 1. Met. Me miserum, quòd amor non est medicabilis herbis.*
    - Genere. *Horat. in Epod. Nos numerus sumus, & fruges consumere nati.*
  - Diuerso
    - Numero. *Ouidius 2. Fast. Hoc dedimus nos tibi nomen Eques.*
    - Genere. *Virg. 1. Æn. Nos tua progenies, cœli quibus annuis arcem.*

DE FIGVRIS SYNTAXIS TERTII GENERIS, IN QVIBVS ALIQVID ABVNDAT.

DE PLEONASMO.

Πλεονασμός, seu Abũdantia (teste Fabio) est in uerbis superuacuis, quibus onerantur oratio, quę inter species Inornati numerarunt Grammatici. Fit autem pluribus modis: uel in

- Nominibus, *cùm additur*
  - Substantiuo *aliud substantiuum, tanquam speciei genus.* Ter. in Phor. *Seruum hominem causam orare, leges non sinunt. Hominem abundat.*
  - Adiectiuo, *uel*
    - Adiectiuum, *quod idem significat.* Idem in And. *Quod plerique omnes faciunt adolescentuli.* Plerique omnes, *altera uox superuacua.*
    - Substantiuum, *uel in casu*
      - Eodem: *cuius substantiui in se significationem comprehendit.* Idem in Hec. *Nemini ego plura acerba esse credo ex amore homini oblata unquam, quàm mihi. Homini abundat. Talia sunt, cùm Cicero dicit, bonam beneuolentiam: & Plautus, malam infamiam.*
      - Genitiuo. *Virg. 1. Æn. Cerealiaq; arma Expediunt fessi rerum. Genitiuus rerum abundat.*
  - Relatiuo *suum antecedens.* Cicero pro Cluentio: *Iubet lex ea, qua lege hæc quæstio constituta est.*
  - Diminutiuo *adiectiuum diminuens.* Idem in Parad. *Nullum sequitur florem orationis, neque dilatat argumẽtum: sed minutis interrogatiunculis, quasi punctis, quod proposuit, efficit.*
- Pronominibus, *uel cùm*
  - Vnum ociosè ponitur. *Virg. 5. Æn. Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.* Ter. in Phor. *Qui mihi ubi ad uxores uentum est, tum fiunt senes.*
  - Vnum bis ponitur. Ter. in Eun. *Id amabo adiuta me, quô id fiat facilius.*
  - Plura simul *ponuntur.* Pacuuius in Armorum iudicio: *Canis quandò est percussa lapide, non tam illum appetit qui se icit, quàm illum eum ipsum lapidem, quo ipsa icta est, petit.*
- Verbis, *uel cùm additur*
  - Absoluto *casus actionis propriæ.* Catull. *Pro qua mihi sunt magna bella pugnata.*
  - Absoluto *aliquid quod idem significat.* Ter. in Hec. *Hanc habere orationem mecum à principio institit.*
  - Verbo *sensum significanti, sensus ipsius instrumentum.* Virg. 4. Æn. *Vocemq; his auribus hausi.* Idem 11. *Tristes Latonia uoces Ore dedit.* Terent. in Hec. *Partim quæ perspexi his oculis, partim quæ accepi auribus.*
- Participijs, *cùm participium uerbo apponitur* ἰσοδυναμοῦντι. Virg. 2. Æn. *Et Diuûm amplexæ simulachra tenebant.*

DE PARELCONTE.

παρέλκον, id est (ut Donatus) productio uel adiectio (sicuti ex interpretibus Terentij licet animaduertere) est, cùm aut abundant particulæ: aut alijs partibus non declinabilibus, declinabilis aliqua absq; necessitate adijcitur. Citatur autem ab ijs parelcon sextum, hoc est, sexti generis: item secundum, tertium, quartū, quintum: quos secuti nos, reliqua annotare conabimur. Parelcon autem fit, cùm

- Aduerbijs *adiunguntur genitiui.* Plaut. in Pseudolo: *Interea loci si lucrum quod detur, potius rem diuinam deseram.* Talia sunt, *Quoquò terrarum, minimè gentium, nusquam locorum.*
- Apponuntur *particulæ expletiuæ, uel*
  - Pronominibus. Virg. 3. Æn. *Ecquæ nam puero est amissæ cura parentis?* Idem in Buc. *Capreoli sparsis etiam num pellibus albo.*
  - Verbis. Terent. in Adel. *Hoc tu facitodum animo cogites.*
  - Aduerbijs. Plaut. in Aul. *Eleusium huc intrò abi, abidum ad nos.*
- Coniunguntur *aduerbia uel*
  - Verbis *idem significantibus.* Terent. *Vbicunque datum erat spatium solitudinis, ut colloqui mecum unà posset.*
  - Aduerbijs *idem significantibus.* Idem in Hec. *Ego pol quoque etiam timida sum.*
- Aduerbijs *uox superuacua additur.* Virg. 12. *Haud quidquam mihi dulce meorum Te sine frater erit.* Teren. in Phor. *Nihil uidi quidquam lætius.*
- Congeruntur *aduerbia uel*
  - Affirmandi Plaut. in Menech. *Tu quidem hercle certè non satis sanus.*
  - Negandi. Terent. in And. *Neque tu haud dicas tibi non prædictum.*
  - Temporis. Idē: *Age, nūc iam ego pol hodie, si uiuo, tibi ostendā.*
- Iterantur *præpositiones cum uerbis compositæ.* Idem: *Accedo ad pedisequas.*
- In conclusione *ponuntur connectendi particulæ.* Idem: *Non'ne hæc iusta tibi uidentur postea?* Et: *Omnia hæc nunc uerba huc redeunt deniq;.*
- Aduerbio *quantitatis aduerbium intendendi apponitur.* Virg. 9. Æn. *Tantùm infelicem nimium dilexit amicum.* Aut contrà. Cic. in Orat. *Sales in dicendo nimium quantum ualent.*
- Comparatiuo *additur suæ potestatis aduerbium.* Plaut. in Capt. *Nec quisquam est, æquè melius cui uelim.*

DE POLYSYNDETO.

πολυσύνδετον est, cùm oratio abundat coniūctionibus, uel

- Iisdem, *ut sunt*
  - Copulatiuæ. Virg. 1. Georg. *Vrget ab alto Arboribusq; satisq; notus, pecoriq; sinister.*
  - Disiunctiuæ. Ibid. *Ille flagranti Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo Deijcit.*
- Diuersis. Idem 1. Æn. *Multum ille & terris iactatus & alto, Multa quoque & bello passus.* Pers. Sat. 3. *Disciteq; ò miseri, & causas cognoscite rerum.* Proper. 3. *Deiphobumq; Helenumq; & Polydamantas in armis.*

DE PALILOGIA.

Παλιλογία est, eiusdẽ uocis quasi resumptio aut replicatio: quã apud ueteres uariam fuisse, docemur ex Terentij interprete, qui ἐπαναφορὰν primam dum annotat, plures eiusdem fuisse species ostẽdit. Hæc autem iteratio, seu (ut auctor ad Herennium) repetitio, multiplex est: fitq; aut in

Vna parte, et distinguitur nominibus apud Græcos. nam quæ accidit

- Initio, dicitur relatio, uulgo ἀναφορά, à Ruffiniano ἐπαναφορά, à Rutilio ἐπιβολή, in Græcorum commentarijs δίπλωσις ἀναφορική. Prop. Aurum omnes uicta iam pietate colunt: Auro pulsa fides, auro uenalia iura, Aurum lex sequitur. Ouid. 1. de Arte: Tuta frequensq; uia est, per amici fallere nomen: Tuta frequensq; licet sit uia, crimen habet.
- Medio, nominatur ἐπαναστροφή ab Hermogene. Cic. O fortunatam natam me consule Romam.
- Fini, appellatur à Rutilio ἐπιφορά, ab Aquila ἀναστροφή, à Rufiniano ἐπιστροφή, ab Hermogene ἀντιστροφή: à Latinis conuersio. Ouid. ad Liuiam: Fortuna arbitrijs tempus dispensat utrunq;: Quaq; ruit, furibunda ruit. Idem 4. Met. Quiq; à me morte reuelli Heu sola poteras, poteris nec morte reuelli.

Partibus duabus, quæ eodem modo distincta apud Græcos nomina habet: nã quæ accidit

- Initio & fini, appellatur ab Aristotele κύκλος, à Grammaticis ἐπανάληψις & ἐπαναδίπλωσις: à Latinis modò resumptio, modò inclusio. Ouid. Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Idem 2. Fast. Vna dies Fabios ad bellum miserat omnes, Ad bellum missos perdidit una dies.
- Fini & initio: hæc uulgo ἀναδίπλωσις seu geminatio, à Rufiniano generali nomine παλιλογία. Tibull. Abstineas auidas mors precor atra manus, Abstineas mors atra precor. Ouid. 3 de Arte: Perfidus ille abijt: quid mihi fiet? ait. Quid mihi fiet? ait, sonuerunt cymbala toto Littore.
- Medio, ijsdem dictionibus recurrentibus, quæ dicitur ἀνάκλασις, & συνοικείωσις, à Charisio ἀντιμεταβολή. Vt apud Poëtam antiquum: Homo locum ornat, non ornat hominem locus.

Recensentur præterea sex aliæ τῆς παλιλογίας species.

- Regressio, διλογία et ἐπάνοδος, id est (ut auctor ad Herennium) conduplicatio, seu (ut Capella) replicatio. Terent. in Phor. Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho? Hanc Demipho negat sibi cognatam? Ouid. 1. Trist. Quid? nisi tot lusus, & tot mea seria nosses: Tot nossem lusus, seriaq; ipse tua?
- Complexio, συμπλοκή uel (ut Rutilius) κοινότης. Cic. 2. Philip. Doletis tres exercitus populi Ro. interfectos? interfecit Antonius, Desideratis clarissimos ciues? eos quoq; eripuit uobis Antonius. Auctoritas huius ordinis afflicta est? afflixit Antonius.
- Geminatio, ἐπίζευξις, cùm eadem dictio repetitur, uel
  - Sine aliqua dilatione. Horat. O ciues ciues, quærenda pecunia primum.
  - Exigua dilatione. Silius: Ibimus omnes, Ibimus, immensis urnam quatit Æacus umbris.
- Intentio, ἀντίστασις, ut nominat Sulpitius Victor: διαφορά, ut Rutilius: δίπλουν, ut Dialectici: ὁμωνυμία, ut ijdem, cùm eadem dictio repetitur sensu diuerso. ut cùm dico, Hospitẽ non semper hospitem esse oportet, τὸ δεῖ ξένον δεῖ ξένον ἄναι, ut est apud Aristotelem. Cic. ad Qu. Fratrem: Cato adolescens nullius consilij, sed tamen ciuis Romanus, & Cato.
- Distinctio, διάκρισις, cùm quod propositum est, iteratur & diuiditur. Virg. 2. Æn. Iphitus & Pelias mecum: quorum Iphitus æuo Iam grauior, Pelias & uulnere tardus Vlyßi. Ouid. 3. Trist. Illa meos casus aggrauat, illa leuat: Aggrauat hoc quod abest, leuat hoc quòd præstat amorem.
- Copulatio, πλοκή, ut Fabius, cùm idem repetitur quadam inuersione. Cic. Vestrum iam hîc factum reprehenditur, non meum: ac pulcherrimum quidem factum, uerùm (ut dixi) non meum, sed uestrum.

¶ Interdum etiam παλιλογία fit, interposita parenthesi: eaq; est triplex. aut enim uerbum

Idem manet, αὐτὸ καθ' ἑαυτό. Cic. pro Marcello: Non uita hæc dicenda est, quæ corpore & spiritu continetur: illa inquam, illa uita est, quæ uiget memoria seculorum omnium. Virg. Huc pater ô Lenæe (tuis hic omnia plena Muneribus, tibi pampineo grauidus autumno Floret ager, spumat plenis uindemia labris) Huc pater ô Lenæe ueni.

Aliud sumitur, κατὰ συνωνυμίαν. Cic. 1. Tusc. Confirmato illo (de quo si mortales animi sunt, dubitare non possumus, quin tantus interitus in morte sit, ut ne minima quidem suspicio sensus relinquatur) hoc igitur probè stabilito & fixo, illud excutiendum est. Idem in Catil. Nam tum, cùm ex urbe Catilinam eijciebam (non enim iam uereor huius uerbi inuidiam, cùm illa magis sit timenda, quòd uiuus egressus est) sed tum, cùm illum exterminari uolebam.

Antecedens pluribus effertur, κατὰ περιγραφήν. Idem lib. 9. Epist. Quidquid arte fieri potuerit (non enim iam satis est consilio pugnare, artificium quoddam excogitãdum est) sed tamen quidquid elaborari aut effici potuerit.

DE PARENTHESI.

Παρένθεσις, seu (ut Fabius) interpositio: ut Capella, digreßio: ut Græci quidã, διάλυσις: ut Porphyrio, σχῆμα διὰ μέσου: est interiectio alieni sensus, quæ cum quidem distrahit, non impedit tamen. quamuis enim dematur, manet tamẽ nihilominus integra sententia. Hæc est aut in

Verbo simplici. Plaut. in Aulul. Quid tu (malùm) curas, utrum ego coctum an crudum edam? Ouid. de Arte: (Turpe) nisi hoc matris precibus tribuisset Achilles, Veste uirum longa dißimulatus erat.

Tota oratione. Virg. 1. Æn. Æneas (neq; enim patrius consistere mentem Passus amor) rapidum ad naues præmittit Achaten.

DE EPEMBOLE.

Ἐπεμβολή, seu παρεμβολή, seu (ut Hermogenis interpres) μεταξυλογία, quæ etiam eodem referente à ueteribus ὑποστροφή, & à nonnullis καταπλοκή dicta fuit: est, interiectio alieni sensus, quæ eum continuat. etsi enim inter expositionem rei excurrit, subitò tamen insistit. Hæc est aut

Simplex. Ouid. 4. Trist. Nil adeò firmum est, adamas licet alligat illud: Vt maneat rapido firmius igne Iouis. Ter. in Hec. Olim quidem te causæ impellebant leues, Quod nunc minitare facere, ut faceres.

Duplicata. Cic. pro Marcello: Diuturni silentij, patres conscripti, quo eram his temporibus usus: non timore aliquo, sed partim dolore, partim uerecundia: finem hodiernus dies attulit. Idem pro Roscio Comœdo: Nõ ex pactione uerborum, quibus iusiurandum comprehenditur: sed ex perfidia & malicia, per quam insidiæ tenduntur alicui, Dij immortales irasci ac succensere consueuerunt.

¶ Parenthesin & epembolen, alij inter species hyperbati posuerunt: quòd ijs interrumpatur sermonis continuatio: sed quia utraq; figura auget orationem, adeò ut sublato eo quod interpositum est, sententia perfici & intelligi possit, rectius in hac classe τοῦ πλεονασμοῦ poni uidetur.

DE FIGVRIS SYNTAXIS QVARTI GENERIS, IN QVIBVS ALIQVID DESIDERATVR.

DE ELLIPSI.

Ἔλλειψις, seu ἔκλειψις (quæ generali nomine ἔνδεια, à Quintiliano μείωσις, id est, defectus seu diminutio dicitur) est, cùm uox aliqua deest, quam consuetudine adde-

- Καθολικῶς, *cùm omittitur id, quod intellectu statim percipitur, & addere semper nõ est necesse. Intelligun tur autem in*
  - Nominibus
    - Proprijs *appellatiua: ut in nomine Meliboci, intelligitur mons: Danubij, fluuius: Ianuarij, mensis.*
    - Appellatiuis communia: *ut in nomine Delphini, piscis: in nomine Elephantis, bellua.*
    - Adiectiuis substantiua. *Tibull. lib. 2. Dicamus bona uerba (uenit natalis) ad aras. deest, dies. Ter. in Eun. Salute Parmenonem summum suum impertit Gnatho. intelligitur amicum. Tacitus lib. 5 Neq; fœmina amissa pudicitia, alia abnuerit. deest, flagitia, uel quid simile.*
  - Pronominibus *relatiuis antecedens. Ouid. in Heroid. Certus in hospitibus non est amor, errat ut ipsi. scilicet, hospites.*
  - Verbis personalibus *pronomina personæ eiusdem*
    - Primæ. *Ouid. Nitimur in uetitum semper, cupimusq; negata.*
    - Secundæ. *Virg. Nec curare Deum credis mortalia quenquam.*
- Μερικῶς, *cùm est in parte aliqua orationis, quæ ad sententiæ integritatẽ omitti non debet. Ea multi-*
  - Nominibus, *præcipuè cùm omit tuntur ca sus,*
    - Nominatiuus: *ut in his loquendi formulis. A' pedibus: deest, seruus. A cura amicorum. deest, libertus. Item cùm dicimus, Non est sapientis dicere, Non putaram. supple, uox. Et, Mentiri non est meum: deest, munus. Et, At pol iam aderit, se quoq; etiam cùm oderit: deest, tempus.*
    - Genitiuus. *Ter. in Eun. Quidquid huius feci, causa uirginis feci: deest, rei. Postulatus repetundarum lege Iulia: supple, pecuniarum.*
    - Datiuus. *Ter. in Hec. Quæ nec opinanti accidunt: deest, mihi.*
    - Accusatiuus *Ter. in Adelph. Non posteriores feram: id est, partes. Idem in And. Antiquum obtines: id est, ingenium. Huc pertinent, ad Dianæ apud Terentium: ante Castoris, apud Ciceronem: circum Concordiæ, apud Sallustium: In Veneris, apud Plautum. deest, ædem uel templum.*
    - Ablatiuus. *Virg. 8. Ex illo celebratus honos: deest, tempore. Idem 11. Paucis (animos adhibete) docebo: deest, uerbis.*
  - Pronominibus, *cùm deest uel*
    - Relatio. *Virg. Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt: deest quem.*
    - Casus uerbo necessariò apponendus. *Ter. in And. Memini uidere: deest, me. Horat. Seruet, in ambiguo qui consulit, & tibi & urbi Iuppiter: deest, seruet eum.*
  - Verbis uel
    - Impersonalibus. *Ter. Tantam' ne rem tam negligenter agere? deest, oportet.*
    - Perso-
      - Personis & numeris.
        - *Ter. in And. Egomet continuò mecum: certè captus est, habet. deest, cogito. Ibid. Ne tu hoc posterius mihi, Daui factum consilio, aut dolis. deest, dicas, uel obijcias. Virg. 1. Æn. Quærẽti talibus ille Suspirãs, imoq; trahens à pectore uocem. deest, dicit. uel respondet. Ter. in And. Vos semotæ, nos soli. Vos semotæ, scilicet fuistis: Nos soli, scilicet, sumus.*

re erat necesse. Hæc accidit omnibus orationis partibus, & accipitur uel | plex est: & primæ Ellipsis mentio fit apud interpretem Terētij. Est autem uel in | nalibus, eaq; fit in omnibus | Virg. 1. Æn. Sed uos qui tandem? quibus aut uenistis ab oris? deest, estis. Idem 3. Georg. Dij meliora pijs, erroremq; hostibus illum. deest, dent aut faciant. Idem 8. Talia per Latium: quæ Laomedontius heros Cuncta uidens. deest, talia fiebant, aut curabantur.

Modis atque temporibus
- Indicatiuus. Ter. in Heaut. Ego dicam quod mihi in mentem, tu dijudica. deest, uenit.
- Imperatiuus. Idem in Hec. Imò quod constitui me hodie conuenturam, non posse. deest, nuncia.
- Optatiuus. Virg. 5. Æn. Nec uincere certò, Quanquam ô. deest, uincere possem.
- Coniunctiuus. Ter. in And. Et uultu Sosia, adeò modesto, adeò uenusto, ut nihil suprà. deest, dici queat.
- Infinitiuus. Cic. ad Att. Horribile est quæ loquantur, quàm minitentur. deest, audire.

Participijs. Liuius: Ea modò quæ restinguendo igni forent, portantes. deest, cōuenientia, aut necessaria. Cic. Att. Epistola librarij manu est. deest, scripta. Ter. in Adelph. Cui rei est, ei rei hunc sumamus diem. Cui rei est: deest, dictus seu constitutus dies.

Aduerbijs. Liuius de bello Macedonico: Altera die, quàm à Brundusio soluit. deest, post: ut sit, postquam soluit.

Præpositionibus. Virg. 3. Georg. Hunc quoq; ubi aut morbo grauis, aut iam segnior annis Deficit, abde domo. deest, in. De his actum pluribus est de Varietate præpositionum, in Syntaxi.

Coniunctionibus, ut cùm desideratur
- Copulatiua. Horat. Ludere par impar, equitare in arundine longa. deest, &.
- Coniunctiua. Ouid. Inuigiles igitur nostris pro casibus oro. deest, ut.
- Causalis. Iuuen. Græculus esuriens, in cœlum iusseris, ibit. deest, si.
- Redditiua. Cic. Vt enim æquè doleamus animo, cùm corpore dolemus. deest, atq; cùm corpore dolemus.
- Disiunctiua. Catul. Per impotentia freta Herum tulisse, læua siue dextera Vocaret aura. Deest, siue læua.

¶ Ellipsis igitur diuidi potest secundum

Quantitatē, qua aut est
- Simplex & recta, ut in exemplis modò enumeratis.
- Retrograda, cùm refert consequens. Ouid. 3. Trist. His ego commotus, dixi tibi protinus ipsi, Scena manet dotes grandis amice tuas. His, id est, dotibus: assumendum à posteriore quod deest, continuatiuum ipsius relationis.
- Duplicata, cùm duæ pluresue in oratione occurrunt. Ter. in And. Verbum unum caue de nuptijs, ne ad morbum hoc etiam. pro, caue dicas uerbum de nuptijs, ne hoc quoque ad morbum accedat. Cic. Attico: Rhodum uolo puerorum causa, inde quamprimùm Athenas. pro, Rhodum uolo proficisci, inde redire Athenas constitui.

Cōsuetudinē, qua est aut
- Vsitata, qua uel communi consuetudine, uel lege aliqua certa utimur, quales multæ sunt apud Ciceronem & alios: ut & in simplici apparuit, & modò in duplicata uidetur.
- Minus usitata, qua Poëtæ tantùm uti consueuerunt, uel ornatus uel necessitatis gratia.

DE HYPONŒA.

Υπόνοια, seu subauditio est, cùm in oratione intelligitur aliquid, quod aliunde sit petendum. Hæc ab alijs Grammaticis omissa, annotatur ab interprete Lycophronis. cum eiusmodi distinctione, quod sit aut in

- Initio, quàm ἀπὸ τοῦ κοινοῦ nominat: cùm aliquid in priore mẽbro ponitur, quod in altero est repetendũ. Ter. in Phor. Quietus esto, inquam, ego curabo. Pro, quietus esto, ego inquam curabo. Hæc transit in ζεῦγμα, cùm idem semper repetitur. ut Cicero in Cat. Maiore: Non curia uires meas desiderat, non rostra, non amici, non clientes, non hospites.
- Fine, eaq; rursus duplex. aut enim est in
  - Verbis, quam appellat συνεκδοχὴν: cùm aliquid intelligendum ab initio est, quod in parte posteriore ponitur. Ea rursus est duplex: aut
    - Aperta, cùm idem uerbum repetitur. Cic. pro lege Manilia: Homini timidè de potestate Deorum, & pauca dicenda sunt. Pro, timidè dicendum est, & dicenda pauca.
    - Minus aperta, cùm assumitur aliud. Ter. in Adelph. Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem, aut audebit: tantò magis audebit cæteros. Hîc ad uerbum Mentiri consequens casus non pertinet, sed est mutandus in alium: Mentiri patri, & fallere patrem. in repetendo aliud assumendum. Brutus Antonio: Non enim decet, aut conuenit nobis, periculo ulli submittere animum. Dicendum, decet nos, & conuenit nobis.
  - Sententijs, quam uocat παρεπιγραφὴν, cùm ex cõsequenti, aliqua colligitur sententia antecedens. Ter. in Adelph. Iubet frater? ubi is est? tu ne iubes hoc? Virg. 1. Æn. Mene incœpto desistere uictam, Nec posse Italia Teucrorũ auertere regem? Ex abruptis enim admirantium aut indignantium initijs, sermonem aliquem, aut cogitationem certè, præcessisse apparet, ad quæ subitò aliquid infertur.

DE APOSIOPESI.

Ἀποσιώπησις (quam auctor ad Herennium præcisionem, Cicero reticentiam, Celsus obticentiam, Fabius ex nonnullorum sententia interruptionem nominauit) est, cùm quid in oratione omittitur, propter motum animi, sine quo absoluta esse sententia non potest. Hanc interpres Terentij tripliciter diuidit: nos duplici diuisione comprehẽdemus. Aut enim tacet aliquis, uel

- Per se, uel cùm
  - Nihil ultra dicit. Ter. in Adelph. Profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet: iam si uerbum unũ posthac. Deest, dixero, uel conquestus fuero.
  - Ad aliud transit. Virg. Nec requieuit enim, donec Calchante ministro: Sed quid ego hæc autem, nequidquam ingrata reuoluo? Deest, donec Calchante ministro, quod uoluit, perfecit.
- Alterius personæ interuentu. Ter. in Phor. Demiphonem, si domi est, uisam: ut quod. DE. At nos ad te ibamus. Deest, ut quod numerandum est, ab eo exigam.

¶ Iidem interpretes alijs locis reticentiæ species quatuor enumerant, quarum duæ sunt in

- Verbis, ut cùm
  - Non exprimũtur, rebus minora, uel à
    - Dolente. Idem in Phor. Ille, qui illam amabat fidicinam: tantummodo satis scita est, noster uerò. DA. Iam scio. Noster uerò, efflictim deperire eam cœpit.
    - Indignante. Idem in Eun. Tibi illam reddat, aut tu eam tangas? omnium? Deest, sceleratißime.
  - Prætermittuntur uerba, quasi festinatione quadam. Idem in Phor. Saluum uenire. Deest, gaudeo. In Adelph. Quid facias? si non ipsa re tibi isthuc dolet, simulare certè est hominis. Deest, quid facias, rogitas?
- Sentẽtijs, ut cùm
  - Interrumpitur sententia, quasi admirantis aut increduli. Idem in Adelph. Sperabam iam deferuisse adolescentiam, gaudebam: ecce autẽ de integro: nisi quidquid est, uolo scire.
  - Non tota sententia effertur, quasi hæsitantis aut incerti. Idem in Eun. Profectò non plus biduum, aut. Et in Phor. Tu amicus, tu parens, tu.

¶ Reticentia autem omnis habet uel

- Ὑποσιώπησιν, ut nominat Vlpianus: uel παρασιώπησιν, ut Rutilius, id est, subticentiam: uel ἀνανταπόδοτον, ut Attici, quorum hæc figura propria est, cùm quid tacetur prorsus, quod tacitum tamen intelligitur. Cic. ad Terentiam: Si perficitis quod agitis, me ad uos uenire oportet: sin autem. Sed nihil est opus reliqua scribere.
- Μετάνοιαν, ut Rutilius, id est, resipiscentiam, cùm res subticetur indigna. Ter. in Heaut. Quamobrem? me rogas? homini. Cùm negaret malo & profuso adolescenti filiam.
- Εὐφημισμὸν, ut Donatus, cùm boni ominis causa, id quod tristius est, non profertur. Ouid. in Laodamia: Me tibi uenturam comitem quocunque uocaris, Siue, quod heu timeo: siue superstes eris. Deest, siue occideris, in membro primo. Cicero ad Caßium: Brutus Mutinæ uix iam sustinebat, qui si conseruatus erit, uicimus: sin (quod Dij omen auertant) omnis omnium cursus est ad uos.

DE ANACOLVTHO.

Ἀνακόλουθον, seu ἀνακατάλληλον, inconsequẽtia est, cùm nulla fit ἀπόδοσις, seu redditio: aut si fit, non fit cõ-

- Nulla fit redditio, ut cùm omittitur uox aliqua, quæ sine altera in oratione non collocatur. Hoc autẽ fit, in
  - Coniunctionibus
    - Copulatiuis, συμπλεκτικοῖς, quod primùm nominant ἀνακόλουθον, Iulius Romanus, & interpres Terentij. Virg. 5. Æn. Tali remigio nauis se tarda ferebat: Vela facit tamen, & plenis subit ostia uelis. Deest, quanquam. Horat. in Epist. Militiæ quamuis piger & malus, utilis urbi est. Deest, tamen.
    - Adiunctiuis, συζευκτικοῖς. Ter. in Phor. Quot me censes homines iam deuerberasse usq; ad necẽ, hospites, tum ciues? Deest, cùm: ut sit, cùm hospites, tum ciues. Hoc appellat ἀνακόλουθον secundum Interpres.
  - Præpositionibus, cùm repetendo aliqua omittitur. Ter. in Hec. Propè iam remotũ iniuria aduersariũm Ab studio, atq; ab labore, atq; arte Musica. Deest, ab arte.
  - Aduerbijs
    - Ordinis. Cic. Cælio: Primùm tibi, ut debeo, gratulor, lætorq; cùm præsenti, tum etiam sperata tua dignitate. Idem Thermo: Eum tibi penitus commendo atq; trado, primùm ut omnibus in rebus ei commodes, quoad fides tua, dignitasq; patietur. Deest in his exemplis, deinde, aut postea, aut quid simile.
    - Numeri. Virg. 2. Æneid. Millia quot magnis nunquam uenere Mycenis.

uenientes

ueniente uerbo. Interpretes Terentij quartum ἀνακόλουθον annotarunt. nos in genere dupliciter hanc figurã diuidemus, in qua aut

Idem 10. Quot prius æratæ steterant ad littora proræ. In his exemplis deest, tot. Ouid. Si, quoties peccant homines, sua fulmina mittat Iuppiter. In hoc deest, toties.

Quantitatis. *Idem in Buc. Nec tantum Phœbo gaudet Parnasia rupes, Nec tantum Rhodope miratur & Ismarus Orphea. Deest, quantum cantante stupebant Sileno.*

Similitudinis. *Idem 10. Æn. Tela manu iaciunt: quales sub nubibus atris Strymoniæ dant signa grues, atq; æthera tranant Cum sonitu.*

Verbis, *cùm aliquoties id repetitũ, in extremo membro non repetitur. Ter. in Eun. Fac periculum in literis, fac in palæstra, in Musicis. Deest in postremo membro, fac.*

Redditio *fit, nõ conueniẽte uerbo, ut cùm uox aliena collocatur. Hoc quoque fit, in*

Nominibus,

Cùm loco relationis *ponitur aduerbium. Ter. in Hec. Omnem rem narrabit scio continuò sola soli, quæ inter uos interuenit, unde ortum est initium iræ. Vnde. pro, ex qua re. Hoc nominat tertium ἀνακόλουθον interpres Terentij.*

Cùm relatio *non ad propinquũ: sed ad remotius respondet. Cic. 1. Tusc. Quomodo igitur, aut cur mortem malum tibi uideri dicis: quæ aut beatos nos efficiet, animis manentibus: aut non miseros, sensu carentes. Cùm rectius fuisset, sensu carentibus.*

Cùm oratio *non ad uerba refertur, sed ad sententiam. Cic. Planco: Quæ ne singula enumerem, totam tibi domum commendo: in his adolescentem filium. pro, in hac domo.*

Cùm oratio *tota sine casu usitato ponitur. Tibull. 1 Nam ueneror, seu stipes habet desertus in agris, Seu uetus in triuio florea serta lapis. Dicendum erat, Veneror stipitem, seu lapidem.*

Verbis, *cùm mutatur aliquod accidens: ut cùm cõiungũtur*

Diuersi modi, *quod idem nominat quartum ἀνακόλουθον. Ouid. Nec tibi turpe puta, crinem ut Phylleia mater Soluere, & effusis colla reflecte comis. Pro, reflectere. Ter. in Phor. Si hoc cæletur, in metu: sin patefit, in probro ut siem. Pro, patefiat.*

Diuersa tempora, *cuius suprà exempla posita sunt de Coniunctione.*

Aduerbijs & Coniunctionibus, *cùm non adduntur ἀποδοτικά, sed aliena. Cic. Gallo: Primùm ipsas ego Musas nunquam tanti putassem, atq; id fecissem Musis omnibus approbantibus: sed tamen erat aptum bibliothecæ, studijsq; nostris congruens. Inferendum erat post Primùm, deinde, uel quid simile. Ter. in Hec. Non hercle Parmeno uerbis dici potest tantum, quàm re ipsa nauigare incommodum est. Post tantum, ponendum erat quantum. Tibull. 1. Hîc ego pastoremq; meum lustrare quotannis, Et placidam soleo spargere lacte Palem. Dicendum erat, & lustrare & spargere soleo. nam Que cum Et, coniunctum, ἀνακόλουθον est, minus tamen sentitur in carmine.*

DE ASYNDETO.

Ἀσύνδετον, quod Charisius διάλυτον, Rutilius διάλυσιν, interpres Hermogenis modò τμῆσιν, modò κόμμα nominat, est (ut Fabius lib. 9. ait) copulata dissolutio: seu (ut in Partitionibus Cicero) constructio uerborum dissolutionibus relaxata: cùm uidelicet (ut ipse in Oratore se interpretatur) demptis coniunctionibus dissolutè plura dicuntur. Ἀσύνδετον fit dupliciter: aut in

- Simplicibus uerbis, & nominatur ab auctore ad Herennium Articulus, à quibusdam ἄρθρον: ut, Balnea, Bacchus, amor, iuuenilia corpora firmant: Corpora debilitant, balnea, Bacchus, amor.
- Membris orationis, & ab eodem dicitur dissolutio, ab alijs κῶλον seu κόμμα: generalibus etiam nominibus interdum συντομία, interdum βραχυλογία appellatur. Martialis: Frange thoros, pete uina, rosas cape, tingere nardo: Ipse iubet mortis te meminisse Deus.

DE FIGVRIS SYNTAXIS QVINTI GENERIS, IN QVIBVS ALIQVID TRAIICITVR.

DE HYSTERO PROTERO.

Ὕστερον πρότερον, quasi dicas posterius prius, quodq; alij πρωθύστερον cõiunctum, alij ἀντεστραμμένον uocant, est, cùm uerba permutantur, quod ad positum ipsorum pertinet. ut cùm

- Præponitur, quod poni in medio solet. Teren. in Hec. Etenim lassam oppidò tum aiebant.
- In medio ponitur, quod ponendum in initio est. Silius lib. 3. Quantum etenim distant à morte silentia uitæ?
- In fine ponitur, quod in initio est locandum. Ter. in Phor. Vereor ne isthæc fortitudo in neruum erumpat deniq;.

¶ Multi hoc nomine generaliter utuntur, præsertim recentiores, ut quamuis traiectionem, tam uerborum quàm sententiarum, huius figuræ uocabulo nuncupent.

DE ANASTROPHE.

Ἀναστροφὴ (quæ à nonnullis ἀντιστροφὴ, ut auctor ad Herennium, peruersio: ut Fabius, reuersio: ut Diomedes, inuersio: ut Charisius, transmutatio) est duorum uerborum, nullo interposito, mutatus ordo. Hæc aut est

- Simplex, fitq; uel in
  - Pronominibus, *cùm relatiuum sequitur, quod natura antecedit.* Cic. ad Att. 8. *Hôc nostra grauior est causa, qui domi sumus, quàm illorum unà qui transierunt. Pro, qui unà transierunt.*
  - Aduerbijs, *cùm dubiam significationem habent.* Varro Eudæmonib. *Tu non insanis, qui tibi uino corpus corrumpis mero. pro, nônne tu insanis?*
  - Præpositionibus, *cùm casus antecedit, qui sequi debebat.* Virg. 4. Georg. *Illius ira modū supra est. pro, supra modum.* Propert. 3. *Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos. pro, de fonte puro.*
  - Coniunctionibus, *cùm non solito loco ponuntur.* Cic. ad Att. *Non id actum, beata & honesta ciuitas ut esset. Id est, ut esset beata.* Plaut. in Aul. *Quàm ad probos propinquitate proximè te adiunxeris, tam optimum est.*
- Geminata, *cùm est in duabus partibus orationis.* Virg. 5. Æn. *Solus qui Paridem solitus contendere contra. pro, qui solus contendere solitus contra Paridem.* Cic. 1. Academ. *Sic philosophiam latinis literis persequitur, nihil ut ijsdem de rebus Græcia desideret. pro, ut nihil de ijsdem rebus.*

¶ Omnis autem anastrophe, quod ad usū eius attinet, aut est

- Accersita, *quæ adhibetur studio, uel*
  - Propter ornatum, *ut ab Oratoribus.*
  - Causa compositionis, *ut à Poëtis.*
- Necessaria, *quæ adhibetur iudicio, ad uitandam ambiguitatem.* Terent. in Phor. *Ancillam emptum, dudum quam dixit Geta. Nam si dixisset, quam dudum, posset coniunctè intelligi.*

DE DIACOPE.

Διακοπή, seu τμῆσις, (seu, ut Terentij interpres, διαίρεσις: ut Corinthus, διάλυσις: ut Donatus, sectio: ut Diomedes, dissectio: ut Fabius, diuisio: ut alij, intercisio) est, uocis alicuius separatio, disiunctióue, interposito extrinsecus uerbo. Hæc fit aut

- Resolutione *ἀναλύσει: eaq; est uel*
  - Vsitata, *cùm dictio composita diuiditur, quæ diuisa certam significationem retinet, ut*
    - Nomen cum præpositione. Virg. 10. *Ille pedem referens, & inutilis, inq; ligatus Cedebat. pro, illigatus.*
    - Verbum cum præpositione. Cic. Pulchro: *Per fore accomodatum tibi, si ad Sidam maritimam partem prouinciæ nauibus accessissem. pro, peraccommodatum.*
    - Præpositio cum aduerbio. Terent. in Hec. *Per pol quàm paucos reperias fideles. pro, perpaucos.*
    - Verbum cum aduerbio. Cic. Marcello: *Me certè in omnibus rebus satis nostræ coniunctioni, amoriq; facturū. pro, satisfacturum.*
    - Aduerbium cum aduerbio. Idem Attico: *Postea uerò quàm ipse Atticus ad me uenit. pro, posteaquam.*
  - Inusitata, *cùm dictio simplex diuiditur, quæ ex una parte nihil significat.* Virg. 3 Georg. *Talis Hyperboreo septem subiecta trioni. De hoc genere tmesis suprà annotatum est in Metaplasmis.*
- Interpositione, *παρεμβολῇ.* Ter. in And. *Per ego te Deos oro, ut ne illis animum inducas credere. pro, ego te per Deos oro.* Virg. 4. Æn. *Per ego has lacrimas dextramq; tuam te Oro. pro, ego ore te per lacrimas.*
- Peruersione, *ἀναστροφῇ.* Ter. in Hec. *Ne reuereatur minus iam quo redeat domum. pro, Quo minus iam redeat.*

DE HYPERBATO.

Ὑπέρβατον, seu ὑποστροφὴ, (ut auctor ad Herennium, transgreßio: ut Donatus, transcensio) est, compositionis contra ordinẽ naturalem transpositio, seu transmutatio. Ea fit, secundum Hermogenem, aut

- Interiectione, *παρενθέσει, qua interrumpitur sententiæ continuatio. Tibul. ad Messalam: Languida non noster peragit labor ocia: quamuis Fortuna (ut mos est illi) me aduersa fatiget. Sed de hac figura suprà dictum est, de figuris in quibus abundat aliquid.*
- Traiectione, *ὑπερβάσει, qua disiungũtur, quæ coniungẽda sunt. idq; fit aut*
  - Usitate:
    - Relatiuum *à suo antecedente. Publ. Malè secum agit æger, medicum qui hæredem facit.*
    - Substantiuum *ab adiectiuo. Cic. 5. Epist. Nulla unquam fuit liberis amißis, tam imbecillo mulier animo.*
    - Adiectiuum ab *adiectiuo. Idem 13. Quam scis mihi iucundißimam cum patre tuo, & summam fuisse.*
    - Verbum *substantiuum à participio. Ibidem: Si Romæ fuisses, etiam salutem A. Cæcinnæ essemus (ut opinio mea fert) per te consecuti.*
  - Inusitatè:
    - Præpositio *à suo uerbo. Virg. 9. Impastus ceu plena eo per ouilia turbans. pro, perturbans.*
    - Coniunctio *ab ea parte, ad quam pertinet. Tibull. 1. Messalã terra dum sequiturq; mari. pro, dum sequitur terra & mari. Horat. 2. Carm. Leniter atterens Caudam & recedentis trilingui Ore pedes, tetigitq; crura. pro, tetigit ore pedes, cruraq;.*

¶ *Est autem nomen Hyperbati apud multos generale, & has traiectionis figuras omnes complectitur.*

DE SYNCHYSI.

Σύγχυσις, Confusio, seu perplexio, uel (ut auctor ad Herennium) traiectio, est, totius orationis perplexa turbatáue cõstructio. Hæc aut est

- Viciosa, *propter obscuritatem, διὰ τὸ ἀσαφὲς. Horat. Frui paratis & ualido mihi Latoë dones, at precor integra Cum mente: nec turpem senectam Degere, nec cithara carentem. Ordo est: O Latoë precor dones mihi ualido frui paratis, nec degere senectam turpem, nec carentem cithara: idq; cum mente integra.*
- Decora, *propter affectum, διὰ τὸ πάθος, cùm tale aliquid tempus ipsum desiderat. Virg. 2. Æn. Iuuenes fortißima frustra Pectora, si uobis, audentem extrema, cupido Certa sequi: quæ sit rebus fortuna uidetis. Excessere omnes, adytis arisq; relictis, Dij, quibus imperiũ hoc steterat: succurritis urbi Incensæ, moriamur, & in media arma ruamus. Ordo est: Iuuenes, fortißima pectora, uidetis quæ sit fortuna: frustra succurritis urbi incensæ: omnes Dij, quibus steterat hoc imperium, relictis adytis & aris excessere. Si cupido certa uobis, sequi audentem extrema, moriamur, & ruamus in arma media.*

DE HYPALLAGE.

Υπαλλαγή, *quasi dicas Submutatio, uel subalternatio, seu conuersio, & (ut nõnulli Græci) μετάποίησις, est sententiæ, facta aliqua uerborũ immutatione, inusitata peruersio. Hæc duplex est. aut enim fit*

- In uerbis: *eaq; rursus per immutationem, aut*
  - Epithetorum: *ut cùm ad rem refertur, quod ad personam pertinet. Virg. 6. Misenum in littore Teucri Flebant, & cineri ingrato suprema ferebant. Non enim cinis ingratus est, sed homo mortuus, qui caret beneficij sensu. Ouid. 4. Trist. Ne noceam grato uereor tibi carmine, néue Intempestiuus nominis obstet honor. Grato carmine, id est, ipse gratus.*
  - Casuum, *ut in uerbis permutãdi et prohibẽdi. Horat. 2. Carm. Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes Permutare uelis crine Liciniæ. pro, uelis permutare crinem opibus. Idem 1. Tollite barbarum Morem, uerecundumq; Bacchum Sanguineis prohibete rixis. pro, rixas prohibete à Baccho.*
- In tota sententia, *transpositione partiũ: ut cùm prædicatum sumitur loco subiecti. Ter. in Hec. Non maxumas, quæ maxumæ sunt interdum iræ, iniurias faciunt. pro, maximæ iniuriæ non faciunt maximas iras. Horat. 1. Car. Oda 23. Nam seu mobilibus ueris inhorruit Aduentus folijs. pro, seu folia mobilia inhorruerunt aduentu ueris. Ouid. 3. Trist. Cepisset genitor si Phaëthonta Merops. id est, si Meropem genitorem cepisset, seu accepisset Phaëthon.*

Hæc figura tãtũ ad poëtas pertinet, estq; aut

- Vsitata & elegans: *ut in immutatione epithetorum. Virg. 1. Æn. Conueniunt quibus aut odium crudele tyranni, Aut metus acer erat. id est, odium crudelis tyranni.*
- Minus usitata, *ut quæ in casibus uerborum est, de græco sermone sumpta: item quæ in sententijs, quæ propter obscuritatem aut nunquam aut rarissimè est adhibenda.*

DE HYSTEROLOGIA.

Υστερολογία *est, cùm sentẽtia quæ præponi debet, naturæ ordine inuerso consequitur. Hæc fit aut*

- Peruersione, *καθ' ἀναστροφὴν. Virg. 7. Dat euntibus ingens Silua locum, & magno cedunt uirgulta fragore. Prius enim cedebant euntibus uirgulta, tum silua locum dabat. Idem 3. Postquàm altos tetigit fluctus, & ad æquora uenit.*
- Perturbatione, *καθ' ὑποστροφὴν. Ter. in Heaut. Qua causa id fiat, obsecundato in loco: sed pater egreditur, caue quidquam admiratus sies. Ordo est: Qua causa id fiat, caue quidquam admiratus sis: sed pater egreditur, obsecundato in loco.*

DE FIGVRIS ETYMOLOGIÆ.

FIGVRAE Etymologiæ pertinent ad dictionis uel orationis qualitatem, quæ est in uerborum formis ac modis: eæq; sunt non tam orationis emendatæ, quæ in syntaxi spectatur atque requiritur: quàm elegantis, quæ uarietate quadam solet esse iucunda. Quamobrem eas etiam cum Rhetore communicare, diximus suprà. Itaq; factum est, ut eas & Grammatici tractarint, sed nudè atq; breuiter: & Rhetores simul ad sua præcepta adhibuerint, maiore ornatu & copia exemplorum.

Figuræ Etymologiæ generum duorum sunt: aliæ enim dicuntur

- Τύποι, id est, formæ orationis. Hoc autem nomine uidemus usum Hermogenis interpretem.
- Τρόποι, id est, modi seu conformationes, quas speciali nomine μεταφορὰς appellat Aristoteles.

Differunt inter se modis tribus:

- In primo genere, proprietas manet: in altero, in locum proprij substituitur alienum.
- Primum genus tantùm æqualitatē habet uocum, & ad earum tractationem attinet: alterum similitudinem quandam significationis, & pertinet ad uerborum uim atq; potestatem.
- Primum genus uoluntarium est: nam eo uti possumus, aut non possumus. alterū necessarium: nam cùm proprijs destituimur, est ad aliena cōfugiendū.

DE TYPIS DICTIONVM.

Τύπος τοῦ λόγου est, forma dictionis arte nouata. Sunt autem formæ eiusmodi aut

- Simplices, quæ nullam, aut certè exiguam habent mutationem. cuiusmodi sunt
  - Σχέσις.
  - Κλίμαξ.
  - Εἱρμός.
  - Ενδύαδις.
  - Ισοδυναμία.
  - Ιδιωτισμός.
- Variæ, καινοπρεπεῖς, quæ habent mutationem, uel
  - Propter sonorum aut modulationis æqualitatem, quæ appellari possunt τύποι παρομοιωτικοί: ad quod genus pertinent
    - Πάρισον.
    - Ομοιόπτωτον.
    - Ομοιοτέλευτον.
    - Πολύπτωτον.
  - Propter similitudinem aut collusionem literarum, syllabarum'ue, quas τύπους παρωνομαστικοὺς dicere licebit. Ad hoc genus pertinent
    - Παρωνομασία.
    - Παρόμοιον.
    - Ανταναάκλασις.
    - Προσωνομασία.
    - Πλοκή.
    - Αττικισμός.

DE TYPIS SIMPLICIBVS.

DE SCHESI.

Σχέσις est habitus earundem partium mobilium, uel

- Nominum, *τῶν ὀνομάτων,*
  - Cùm nominum *multitudo coaceruatur, absque aliqua copula. Martial.6.* Argentum, mensas, prædia solus emit. *Ouid.10.* Trames Arduus, obscurus, caligine densus opaca.
  - Cùm singulis *nominibus substantiuis epitheton apponitur. Ennius,* Marsa manus, Peligna cohors, festina uirûm uis.
  - Cùm plures *periphrases aut antonomasiæ uni substantiuo, uno in loco adduntur. Virg.11.* Alma tibi, hanc nemorum cultrix, Latonia uirgo, Ipse pater famulam uoueo.
- Verborum, *τῶν ῥημάτων,*
  - Cùm eorum *multitudo congeritur. Martialis,* Rape, congere, aufer, poßide: relinquendum est.
  - Cùm eorum *crescit magnitudo. Lucilius 30.* Fluctus inflarit, erexerit, extuleritq́; *Horatius:* Cùm loca iam recitata reuoluimus irreuocati.

DE CLIMACE.

Κλίμαξ, ab Hermogene κλιμακωτὸν, ab Aquila ascẽsus, à Cicerone gradatio, à Rutilio ἐπιπλοκή, est, cùm à uerbo, quo superior sensus clauditur, nouus incipit, & ueluti per gradus ascendit. Hæc tripliciter diuiditur. Secundum

- Materiam, *qua est aut in*
  - Nominibus. *Virgilius in Bucol.* Torua leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam.
  - Verbis. *Ouid.3. Amorum:* Cedere iußit aquam, iussa receßit aqua.
  - Verbis participijsq́. *Idem 12. Metamorph.* Prosilijt, terraq́; ferox sua uiscera traxit, Tractaq́; calcauit, calcataq́; rupit.
- Compositionem, *qua omnis gradatio est uel*
  - In membris duobus, *& uerbis ijsdem. Ouidius 1. Fast.* Quærere ut absumant, absumpta requirere certant.
  - In membris pluribus, *& uerbis diuersis. Idem 15. Metamorph.* Heu quantum scelus est, in uiscere uiscera condi, Congestoq́; auidum pinguescere corpore corpus, Alteriusq́; animantem animantis uiuere letho.
- Formam, *qua est aut*
  - Pura, *quæ tantùm habet repetitionem uocis antecedentis.*
  - Mixta, *quæ peculiariter appellatur παράδοξον, cùm alias figuras parit,*
    - Παρωνομασίαν, *ut exemplum Ouidij proximum.*
    - Ἐπανορθώσεις, *ut sequens Ciceronis ex 12. Philippica:* Quid enim, per Deos immortales, potest reipublicæ prodesse nostra legatio? Prodesse dico? quid si obfutura esset? Obfutura? quid si iam nocuit?

DE EIRMO.

Εἱρμὸς, series, seu connectio, seu (ut Charisius) tenor, est orationis quasi eodem filo deductæ, tractus & continuatio & casus unius, usque ad clausulam obseruatio. Est autem eiusmodi connectio, aut

- Cōtinuata, ζευγματικὴ, quæ nihil interiectum habet, in eaq; species aliqua τ̃ ζεύγματος semper inest. nam uerbum uel ponitur in
  - Initio. Virg. 6. Interea uidet Æneas in ualle reducta Seclusum nemus, & uirgulta sonantia siluis, Letheumq;, domos placidas qui prænatat, amnem.
  - Medio. Idem in Bucol. Hinc lapides Pyrrhæ iactos, Saturnia regna, Caucaseasq; refert uolucres, furtumq; Promethei.
  - Fine. Idem 6. Principiò cœlum ac terras, camposq; liquentes, Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra, Spiritus intus alit.
- Interrupta uel discreta, ὑποβαλτικὴ, in qua inest ἐπιμβολὴ, aut παρένθεσις. Idem: Vos quoque Pergameæ iam fas est parcere genti, Dijq; Deæq; omnes, quibus obstitit Ilium, & ingens Gloria Dardaniæ: tuq; ô sanctißima uates, Præscia uenturi, da (non indebita posco Regna meis fatis) Latio considere Teucros.

DE HENDYADE.

Ἑνδυάδις dicta est, secundum Seruium, quòd res una in duas diuidatur: ab interprete Terentij appellatur hæc forma δύο διὰ ἑνός: ab alijs inuersè, ἓν διὰ δυοῖν, quia duæ res pro una ponuntur. Hæc quidem est aut

- Vniformis, μονοσχηματισμένη, quæ unius generis est, sed interpretationem diuersam habet: aut enim explicatur
  - Nomine eodem, aut substantiuo, aut in suum possesßiuum mutato. Cic. ad Lentulum: Hæc profectò uides quanto expresßiora, quantoq; illustriora futura sint, cùm aliquantum ex prouincia, atque ex imperio laudis accesserit. id est, ex prouinciæ imperio. Virg. 3. Georg. Nec mihi displiceat maculis insignis, & albo. id est, albis maculis.
  - Nomine inuerso. Ouid. in Phædra: Enixa est utero crimen onusq; suo. id est, onus criminosum. Propert. 3. Omnia fausta cano, Crassos cladesq; piate. id est, clades Crassorum.
  - Nomine diuerso. Virg. 5 Hic membris & mole ualens. id est, membris uastis & robusti. Ibidem: Quid, si quis cestus ipsius, & Herculis arma, Vidisset? id est, Herculem cestibus armatum.
- Diuersa, ἑτεροσχηματισμένη, quæ adiunctam aliam figuram habet, & interpretationem magis remotam. Plaut. in Aulul. Qui creta & uestitu se occultant, quasi sint probi. Creta & uestitu, id est, cretaceo uestitu: & per συνεκδοχὴν, candido: per μετάληψιν, simplici atque honesto.

DE ISODYNAMIA.

Ἰσοδυναμίας apud Grammaticos est, cùm negatio pro affirmatione ponitur, atque æquipollet: unde aliqui æquipollentiā, uel æquiualentiam uertūt. Hæc diuiditur secundū

- Materiam, *ut cùm affirmamus per*
  - Contraria, ἐναντία. *Virgilius 1. Æneid. Non ignara mali, miseris succurrere disco. pro, malis maximè exercitata, atque edocta.*
  - Priuantia, στερητικά. *Cic. de claris Orat. Fannius nunquam est habitus elinguis. id est, semper habitus disertus.*
  - Contradicentia, ἀντικείμενα. *Ouidius 1. Trist. Causa mea est melior, quia non contraria fovi Arma. id est, fidus Cesari fui.*
  - Relatiua, ἀναφορικά. *Virgilius 4. Æneid. Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris? pro, detrectas esse mater & coniunx?*
  - Comparatiua, συγκριτικά. *Cic. de Offic. Timotheus belli laude non inferior fuit, quàm pater. pro, patri æqualis, aut etiam superior.*
- Formam, *ut cùm affirmamus negatione, aut*
  - Cumulata μιμητικῶς, *idq; fit aut*
    - Vsitatè. *Ouid. 3. Trist. Denique non possum nullam sperare salutem. pro, maximè spero aliquam salutem. Dicitur à quibusdam affirmatio* ἐκ μεταθέσεως.
    - Antiquè. *Lucilius 17. Sat. Cætera contemnit, & in usura omnia ponit Non magna, proprium uerò nil neminem habere. Pro, nihil quēquam habere proprium: uel, neminem quidquam habere proprium.*
    - Poëticè. *Terent. in Andr. Neque tu haud dicas tibi non prædictum, caue. Triplicata negatio ad contentionem maiorem facit.*
  - Repetita, ἐμφατικῶς. *Cicero libro decimo ad Atticum: Non sunt ab obsequio nostro, non: habent suas radices. Idem libro septimo ad Curium: Quæ si uideres, lacrimas non teneres, non: quid si cætera scribam? Propert. libro secundo: Non, non humani sunt partus, talia dona, Ista decem menses non peperere bona. Huius generis plura exempla apud Terentium & Virgilium, in nostris Lectionum obseruationibus, annotata sunt.*

Ἰδιωτισμὸν, seu τὸ ἰδιωτικὸν Aristotelis & Iamblichi, quod generali nomine εὐτελὲς, est, plebeium aliquid, & (ut Terentij interpres ait) consuetudinis peruulgatæ. Quātum autem ex eodem interprete colligimus, idiotismus est aut in uerbis, aut in sententijs popularibus. In

- Verbis, ijsq; aut
  - Simplicibus, ut in
    - Improprijs. *Terent. in Adelph. Vestram nequeo mirari satis rationem. ἰδιωτικῶς malam, cùm non sit ratio, nisi bona: sed sic loquitur populus, ut ait interpres.*
    - Barbaris. *Idem in Eunuch. Risu omnes qui aderant emoriri. pro, emori.*
    - Peregrinis, *quomodo frigus sceleratum, dictum uolunt à Virgilio idiomate Mantuano. Ab eodem, Timauum fluuium, appellatione Illyrica, mare & pelagus nominatum.*
    - Incredibilibus. *Terent. in Adelph. Me pugnis miserum, & istam psaltriam usque occîdit. Occisus non loquitur, ait interpres.*
    - Superfluis. *Idem in Hec. Percontumax redisti huc nobis Pamphile. τὸ nobis abundat.*
    - Reciprocationum abusu. *Catul. Nulla fides ullo fuit unquam fœdere tanta, Quanta in amore suo, ex parte reperta mea est. In amore suo: pro, in amore ipsius.*
  - Coniunctis, ut in
    - Phrasi *impropria. Terent. in Adelph. Tam excoctam reddam atque atram, quàm carbo est. Reddere excoctam, pro excoquere.*
    - Syntaxi non usitata. *Ibidem: Hoc mihi dolet, nos penè serò scisse. pro, ego hoc doleo.*
    - Syntaxi antiquata. *Idem in Phor. Tum Antipho me excruciat animi. id est, ego propter Antiphonem excrucior.*
    - Adiectione *non necessaria. Ibidem: Verùm si cognata est maximè, non fuit necesse habere. Non dicitur maximè cognata, aut cognata minimè: sed aut est cognata, aut non est.*
    - Particularum *abusu. Idem in Hec. Vt cùm matre sua plus esset. id est, diu uel maiorem partem esset.*
- Sententijs, *cùm sunt uel*
  - Impropriæ. *Idem in Phor. Quàm iniquè comparatum est, hi qui minus habent, ut semper addant aliquid ditioribus. Morem pro lege interpretatur.*
  - Absurdæ. *Idem in Eunuch. Ille erat honesta facie & liberali. Muliebriter dicitur, quasi amplius non esset.*

DE TYPIS PAROMOEOTICIS.

Παρομοίωσις Aristoteli est, cùm sunt casus exitu similes. Πτώσεις autem ipse uocat flexiones tum nominum, tum etiam uerborum, quas Terentij interpres γένη appellat. Est igitur hæc æqualitas in casibus, generibus, & modis: neque solùm in fine alicuius membri, sed etiam in terminatione & exitu quarumuis dictionum. Eius species diximus esse quatuor.

DE PARISO.

Πάρισον, seu (ut Hermogenes) παρίσωσις, Martiano dicitur æquatum, auctori ad Herennium & cæteris compar, est, sonorum indifferenter omnium similitudo. Hæc forma accidit aut

- Initio, & ab Hermogenis interprete appellatur ὁμοιόαρκτον: ut, Curre curriculo.
- Fini, & ab eodem dicitur ὁμοιοτέλευτον: ut, Sustine & abstine.

DE HOMŒOPTOTO.

Ὁμοιόπτωτον, simile casibus, ab auctore ad Herennium similiter cadens, est nominum similis terminatio. Terentij interpres ὅμοιον τῷ γένει nominat. Id fit aut in uerbis

- Duobus: ut cùm dico, Honores mutant mores. Liuius: Posthumiam Vestalem incestus crimine absolutam, pro collegij sentētia pontifex admonuit abstinere iocis, Deosq; colere sanctè potius quàm scitè.
- Pluribus. Virg. 5. Illum & labentem Teucri, & uidere natantem, Et salsos rident reuomentem pectore fluctus.

¶ Hæc autem figura aut est

- Simplex, ut in exemplis superioribus.
- Mixta: rarò enim absq; figuræ alterius ponitur coniunctione. Coniungitur autem cum ea
  - Contrarium, ἀντίθεσις. Cicero ad Catonem: Vt ex alienißimis socijs amicißimos, ut ex infidelißimis firmißimos redderem.
  - Repetitio, ἀναφορά. Accius in Deiphobo: Qui neque amico amicus unquam grauis, neque hosti hostis fuit.
  - Agnominatio, παρωνομασία. Virg. 1. Æneid. Haud aliter puppesq; tuæ, pubesq; tuorum, Aut portum tenet, aut pleno subit ostia uelo.
  - Compar, ἰσοκωλία. Cic. ad Lentulum: Summa dissensio est, sed dispar contentio.

DE HOMOEOTELEVTO.

ὁμοιοτέλευτον, simile fine: ab auctore ad Herennium, similiter desinens: à Martiano, simili modo determinatum: est, uerborum aut aliarum uocum similis terminatio. Id aut est

- Simplex, quando est in binis membris. Cic. Lentulo: Vel adiuuando confirmares, uel negligendo impedires. Arterius apud Senecam: Quo modo hunc senatum intrare poteris, exhaustum crudeliter, repletum turpiter?
- Geminatum, quando est in ternis quaternis ue membris. Cicero Lentulo: Si cecidisset, ut uolumus & optamus, omnes te sapienter & fortiter: sin aliquid esset offensum, eosdem illos & cupidè & temerè fecisse dicturos.

¶ Rursus omne ὁμοιοτέλευτον aut est

- Purum, ἁπλοῦν, quod solitariè ponitur.
- Mixtum, συμμικτὸν, quod cũ superiore figura est coniunctum, nominibus similiter & uerbis eandem terminationem retinentibus: idq; etiam aut in
  - Paucis membris. Seneca in Thyeste: Leue est miserias ferre, perferre graue. Martial. 10. Hunc seruare modum nostri nouere libelli, Parcere personis, dicere de uicijs.
  - Membris pluribus. Cic. pro Roscio Amerino: Quid tam est commune, quàm spiritus uiuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis? Ita uiuunt dum possunt, ut ducere animam de cœlo non queãt: ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat: ita iactantur fluctibus, ut nunquam abluantur: ita postremò eijciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant.

DE POLYPTOTO.

πολύπτωτον, est commutatio casuum. Hæc fit dupliciter:

- Diuersitate, μεταπτωσία, eadem uidelicet significatione manente. Virgil. 4. Æneidos: Littora littoribus contraria, fluctibus undas Imprecor, arma armis pugnent. Ouid. 8. Metamorph. A siluis siluas, & ab aruis arua reuelli.
- Traductione, μεταγωγὴ, eadem significatione non manente. Hanc alij ἀντίστασιν nominant, de qua suprà in Palilogia dictum est. Cic. 3. Offic. Quid cum eo disseras, qui omnino hominem ex homine tollat? In prima parte homo qualitatis est, in altera substantiæ. Accius in Medea: Fors dominatur, neque uita ulli propria in uita est. Virgilius in Bucol. Ex illo Corydon, Corydon est tempore nobis.

DE TYPIS PARONOMASTICIS.

Τύποι παρωνομαστικοὶ ſunt poſiti in uerborum colluſionibus: neque tantùm extremæ alicuius ſyllabæ, quæ æqualem ſonum faciat, ſed aliarum uocum ſimilium, quæ alienum aut diuerſum, ſignificant. Eius ſpecies ſunt ſex: quæ etiamſi cognationem maximam habeant, tamen doctrinæ cauſa poſſunt diſtingui, ita uti à ueteribus diſtinctæ ſunt.

DE PARONOMASIA.

Παρωνομασία (quam Ariſtoteles παράγραμμα, Hermogenes παρήχησιν, Ruffinus παρηγμένον nominat: Diomedes denominationem, Cicero immutationem, Cornificius traductionem uertit) eſt, commutatione quadam uenuſtas quæſita. Eaq; eſt aut

- Simplex, quæ fieri poteſt multis modis: uel
  - Literæ: uel
    - Vocalis commutatione, μεταθέσει. Terent. in And. Incœptio eſt amentiũ, haud amãtium. Plaut. in Aul. Inanijs ſunt oppletæ, atque araneis.
    - Conſonantis colluſione, παίζει. ut de occiſo fratre ſuo dixit Baſsianus imperator: Sit diuus, modò ne uiuus.
  - Syllabæ interiectione, ἐπενθέσει. Terẽt. in Heaut. Tibi erunt parata uerba, huic homini uerbera.
  - Literæ ſyllabæ'ue productione, aut correptione. Nero dicere ſolitus eſt, deſiſſe Claudium inter homines morari, cùm non moraretur amplius. Mōrari prima longa, ſtultum agere, deriuatione Græca à nomine μῶρος: prima breui, teneri aut agere aliquo in loco ſignificat. Item, ſi diceretur, Aliquem eſſe aptiorem ad haram, quàm ad aram.
- Geminata, eaq; rurſus uel
  - Repetitionem habet rerũ diuerſarum. Cic. 1. ad Att. Conſul autem ipſe paruo animo & prauo, facie magis quàm facetijs ridiculus. Rerum earundem. Catul. Bona te Venus Iuuerit, quoniam palàm, Quod cupis, capis.
  - Nullam repetitionem habet, ſed tantùm mutationẽ elementi, & quantitatis: ut ſi quis ludens dicat: Inter Germanos uiuere nunc, bibere eſt.

DE PAROMŒO.

Παρόμοιον, quod Latini uertunt aßimile, est perpetua paronomasia, sed tamen in uerbis potius quàm in sententijs quæsita collusio: dicitur alio nomine ἐπαλληλία, eaq; aut est

- Simplex, cùm fit in duabus tantùm dictionibus, uel
  - Simul coniunctis, cùm fini respondet initium. Virg. 4. Æneid. Fama malum, quo non aliud uelocius ullum.
  - Disiunctis: ut cùm conueniunt
    - Initia. Ibidem: Multa uiri uirtus animo, multusq; recursat Gentis honos.
    - Medium & finis, quod est in inciso. Ouid. 5. Trist. Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis. Propert. 3. Troia bis Œtei numme capta Dei.
    - Finis & initium. Virg. 4. Arma parent, & quæ sit rebus causa nouandis Dißimulent. Luserunt in hoc genere ueteres, ut Ausonius.
- Multiplex, cùm fit in pluribus dictionibus, aut etiam omnibus: & dicitur à quibusdam ἀντιτυπία, quasi renitentia: idq; rursus
  - Initio. Ouid. 5. Fast. Mense malū Maio nubere uulgus ait.
  - Fine. Propert. Et galea hirsuta compta lupina iuba.

¶ Omne igitur παρόμοιον aut

- Decorum habet, estq; εὐπρεπὲς, quando seruit
  - Sententiæ, ut sæpe apud Poëtas. Accius in Thyeste: Impius hortatur me frater, ut meos malis miser Manderem natos.
  - Risui, ut plerunque apud Comicos. Plaut. Anum doliarem, crassam, claudam, cæsiam. Terent. Magnus, rubicundus, crispus, crassus, cæsius.
- Naturam imitatur, estq; ἀφυὲς, cùm quasi casu excidit. Accius, ὡς ἐν ναυσὶ μάχῃ: Probis probari potius, quàm multis malo. Virg. 12. Qui cursu portas primi irrupere patentes.
- Affectationem ostendit, estq; κακόζηλον: quod etiam est aut
  - Fortuitum. Ouid. in Heroid. Et si quis quæra, quare pugnare recuses.
  - Studio quæsitum. Plaut. in Pseudolo: Memorem immemorem facit, qui monet quod memor meminit. Ennius: Stultus est, qui cupida cupiens cupiēter cupit.

DE ANTANACLASI.

Ἀντανάκλασις (reciprocatio, seu refractio: seu, ut alij, commutatio) est eiusdem uerbi in una sententia, uel multiplex, uel contraria significatio. Ea fit dupliciter: aut

- Mutatur uerbum, uel
  - Simplex cum composito. Martialis 9. Nam uigilare leue est, peruigilare graue.
  - Cum composito compositum. ut si quis dicat: Immorari studijs probo, immori non probo.
- Manet uerbum, sed diuersa significat. ut cùm Proculeius quereretur de filio, quòd is mortem suam expectaret: & filius dixisset, Se uerò non expectare: Imò, inquit, rogo expectes. Expectare, significat primo loco expetere, altero præstolari.

DE PROSONOMASIA.

Προσωνομασία, uel (ut Fabius uertit) Agnominatio, est ex uicinia quadam nominis prædicti, ducta casibus declinatio. Hæc fit, aut

- Verbo, τῷ ῥήματι, uel cùm
  - Casus mutatur. Catul. Dux bonæ Veneris, boni Coniugator amoris. Terent. in Phor. Vt ni uis boni in ipsa inesset forma, hæc formam extinguerent.
  - Casus non mutatus diuersa significatione ponitur. Ouid. Talis erat mater, si modò mater erat. Primum matris nomen naturæ est, alterum beneuolentiæ.
- Sensu, τῇ δηλώσει, cùm diuersa sunt uerba, eadem tamen sententiæ complexio. Eaq; rursus est aut
  - ὀνομαστική, quæ expressa nomina habet. Terent. Quid mulieris uxorem habes, aut quibus moratam moribus? Extremum membrum est explicatio primi. Mulier enim qualitatis uox, uxor substantiæ.
  - Ἀποδεικτική, quæ in demõstratione est, quia subintellectionem habet nominis alterius. Idem in Eunuch. Quid hoc hominis? quasi diceret: Hic homo qualis est homo?

DE PLOCE.

Πλοκὴ, id est copulatio, seu continuatio, secūdum Aquilam & Donatum, est, cùm uox cōtinuò posita, propter diuersas orationis partes, diuersa significat. Hæc fit in ipsa diuersitate, uel notione

- Eadem: & distinguitur uel
  - Sensu, ut in
    - Nomine & participio. Terent. in Eunuch. Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius. Dictum, in primo membro nomen est, in altero participium.
    - Pronomine & aduerbio. Idem ibidem: ut, Vestem cum eo mutem, & pro illo iubeam me illò ducier. Illo, primū pronomen est additum præpositioni: illò alterum, aduerbium est, pro illuc, signatum accentu.
    - Verbo & nomine. Quale est quod affertur à Fabio: Amari iucundum est, si curetur ne quid insit amari. In primo membro Amari uerbum est, in altero nomen.
  - Casu, ut in
    - Aduerbio & nomine. Terent. in Hec. Neque ille hoc animo erit ætatēm, neque pol tu eadem isthac ætate.
    - Præpositione & cōiunctione. Idem in Eunuch. Quæ cum amatore suo cùm cœnant, liguriunt.
- Diuersa: & distinguitur quantitate, ut cùm fit in nomine & uerbo. Catul. in Epigrammate: Volo ad Serapis Ferri māne: mǎne, inquio, puellæ. Mane primum, nomen est: id est, matutino tempore. Mane alterum, uerbum est, pro resiste aut expecta.

DE ATTICISMO.

Atticismus est, figura loquendi ab Atticis sumpta. Hæc fit uel

- Cùm nomen actionis cum uerbo ipso iungitur. Virgilius 12. Hunc sine me furere ante furorem. Cic. ad Metellum: Magna uoce iuraui uerissimum, pulcherrimumq; iusiurandum.
- Cùm epitheton nomini idem significanti apponitur. Plaut. in Aulul. Certè edepol equidem te ciuem sine omni mala malicia semper sum arbitratus, & nunc arbitror. Cic. libro 13. Epist. Illis temporibus quibus facilimè bonam beneuolentiam hominum potui perspicere. Hoc etiam referri ad pleonasmum potest.

DE TROPIS.

Tropi, *seu, ut Latini nominant, modi: ut Cicero, immutationes: (sic appellantur speciali nomine* μεταφοραὶ, *ab Aristotele:* λέξεις τετραμμέναι, *ab Hermogene: id est, uerba mutuata, ut Cicero: accersita, ut Fabius: uel detorta, ut Horatius) duorum generũ sunt, aut in*

- Verbis simplicibus, ἐν τῇ λέξει. *quorũ alij sumuntur à*
  - Rebus, *ut qui ducitur à*
    - Simili, — Metaphora.
    - Causis, — Metalepsis.
    - Signis *atq; adiunctis*, — Metonymia.
    - Toto & partibus, — Synecdoche.
  - Verborũ qualitatibus, *ut qui ducitur à uerbo*
    - Extraneo, — Antonomasia.
    - Improprio, — Catachresis.
    - Nouo uel facto, — Onomatopœia.
    - Maiore, — Auxesis.
    - Incredibili, — Hyperbole.
    - Minore, — Miosis.
- Verbis coniunctis, ἐν τῇ διανοίᾳ. *ijq; rursus aut sunt in*
  - Ipsa oratione, *ut*
    - Periphrasis.
    - Allegoria.
    - Ænigma.
  - Dicentis gestu, *& pronunciatione: ut*
    - Ironia.
    - Sarcasmus.
    - Mimesis.

¶ Adhibetur *utrunq; genus Troporum tribus de causis:*

- Venustatis, *cùm aliquid dicitur pulchrius aut decentius, propter similitudinem aliquam: ut, Flos ætatis, pro adolescentia: Procrustes, pro latrone: auis longis inuisa colubris, pro ciconia.*
- Necessitatis, *cùm destituimur proprijs aut usitatis: ut, Oculus seu gemma in uite, corymbus in plãta aut arbore, pro eo uidelicet, quod primò inde protruditur aut protuberat.*
  Tale est, cùm extinctum aliquem dicimus, impulso sulfure & igne globo, quẽ bombarda ictum significamus. Ita quod in tectis Italicis, tubo & calatho assurgit, denotat infumibulum, ut barbari loquuntur.
- Significationis, *cùm translatum proprio est melius, aut illustrius. Inflammari iracundia, uehementius est quàm irasci. Monstrum hominis, grauius est quàm homo monstrosus. Ebrius successu rerum secundarũ, euidentius quàm elatus fortuna.*

DE METAPHORA.

METAPHORA est uerbi proprij in quandam rem alienam, cum uirtute translatio, per similitudinem. Differt autem à similitudine translatio, quod illa comparatur rei quam uolumus exprimere: hæc uerò pro ipsa re ponitur atque effertur. Aristoteles in Arte poëtica, ait esse μεταφορὰν, ὀνόματος ἀλλοτρίου ἐπιφορὰν, id est, nominis alieni illationem. Metaphora diuiditur multipliciter.

- Metaphora secundum Materiam. fit enim aut ex
  - Nominibus, quæ habet λέξεις ὀνοματικὰς. eaq; aut est in
    - Nomine simplici. Terent. in Heaut. Quid stas lapis? cùm hominem stupidum appellaret. Idem in Eunuch. Satis diu hoc iam saxum uoluo: id est, Thrasonem saxo similem.
    - In nominis epitheto. Tibul. Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses? Quàm ferus, & uerè ferreus ille fuit? Homo ferreus, pro crudeli & immani.
  - Verbis, quæ habet λέξεις ῥηματικὰς. Ouid. 1. Eleg. Labitur occultè, fallitq; uolatilis ætas. Idem 3. de Arte: Discite, eunt anni more fluentis aquæ. Ætas labitur, & anni eunt, uerba sunt à rebus alienis sumpta, per similitudinem.

- Metaphora secundum Qualitatem, aut est
  - Propinqua, ἡ ἐγγὺς, quæ est in eadem specie, quam in Rhetoricis Aristoteles appellat ἐκ τῶν συγγενῶν, à rebus cognatis sumpta: ut in homine, uel
    - À corporis sensibus integris: ut, Sentire, pro intelligere. Terent. in And. Ah uix tandem sensi stolidus.
    - À singulorũ sensuum partibus: ut à
      - Visu. Cic. pro Cœlio: Prò dij immortales, cur interdum in hominum sceleribus maximis conniuetis? Conniuere, pro dissimulare.
      - Auditu. Idem ad Cœlium: Tecum loquere, te adhibe in consilium, te audi, tibi obtempera. Audire, pro obtemperare. 7. Epist. lib. 2.
      - Gustatu. Idem de Claris oratoribus: M. Piso hominum ineptias & stultitias, quæ nobis deuorãdæ sunt, non tulit. Deuorare, pro perferre cum aliqua molestia.
      - Olfactu. Idem de Orat. Odoror, quàm sagacissimè possum, quid sentiant iudices. Odorari, pro inuestigare.
      - Tactu. Idem ad Appium: Ad omnia accipe, & cognosce æquitatem expostulationis meæ. Accipere, pro intelligere.
  - Remota, ἡ πόρρωθεν, quæ est in diuersis speciebus, quam idem nominat ἐκ τῶν ὁμοειδῶν, à rebus æqualibus, accidentibus in diuersis speciebus, ut diximus, sumpta. Hæc transfertur
    - Ab animali ad animal, ἀπ' ἐμψύχου ἐπὶ τὸ ἔμψυχον: ut ab homine ad brutum: ut cùm canem secundum Xenophontem φιλάνθρωπον dicimus, qui obseruat dominum. aut contrà, à bruto ad hominem: ut cùm dicimus, latrare eum qui est maledicus: gannire, qui ineptus.
    - Ab animali ad nõ animal, ἀπ' ἐμψύχου ἐπὶ τὸ ἄψυχον: ut cùm poëtæ dicũt, prospicere turrim, audire currus, gemere cymbas, flere pinus, parturire arbores. Tibul. 1. Arida nec pluuio supplicat herba Ioui. Ouid. 1. Met. Fluctib⁹ ignotis insultauere carinæ.
    - À non animali ad animal, ἀπ' ἀψύχου ἐπὶ τὸ ἔμψυχον: ut cùm dicimus, florere adolescentiam, decrescere senectutem.
    - À non animali ad non animal, ἀπ' ἀψύχου ἐπὶ τὸ ἄψυχον: ut, Orationem fluere, studia uigere.

Metaphora *secundum Proportionem. Hæc diuisio affertur ab Aristotele de re Poëtica, eaq; est generalis: neque tantùm refertur ad metaphoram, sed ad omnes tropos in genere: quos, ut dictum est,* μεταφορὰς *nominat Aristoteles. Sumitur igitur ex eius sententia omnis metaphora, aut*

À re finita ad finitam, κατὰ τὸ ἀνάλογον, *competentia quadam. ut cùm mutua est in rebus trãslatio: ut, Quod est in die uespera, idem est in uita seniũ. unde uespera, senium diei dici potest: contrà senium, uespera uitæ. Similiter, quod flos est in herbis, idem in adolescente est pubertas: unde & pubertatem herbarum, & florem iuuentutis dicit Virgilius. Ex hac Aristotelica, alia diuisio à Grammaticis desumpta est, quæ potest dici secundum consecutionem, qua quidem omnis Metaphora aut est*

- Consequens, *uel reciproca, uel (ut Grammatici dicunt) communis,* ἀκόλουθος καὶ ἀντίστροφος, *quæ conuertitur, & in utranque partem ualet: ut, Auriga, pro gubernatore. Virgilius, Typhin aurigam celeres fecere carinæ. Contrà, gubernator pro auriga: Cùmq; gubernator magna contorsit equos ui. Ita dicimus, Naues uolare in æquore, & aues natare in aëre.*
- Non consequens, aut reciproca, ἀνακόλουθος, καὶ μὴ ἀντίστροφος, *quæ uni tantùm parti conuenit: ut, uertex qui est capitis, pro montis cacumine accipitur: sed acumen capitis, ut uertex montis dici non potest. Eodem modo ignis pro amore, uel ira ponitur: sed contrà, nequaquam pro igne dicetur amor uel ira. Terentius punctum temporis dixit, pro momento: cùm dici usitatè non posit momentum lineæ, pro puncto.*

À re finita ad infinitam, ἀπ᾽ εἴδους ἐπὶ γένος. *Virg. 9. Ex quo mille die uictor sub tartara misi. Mille uictor, pro sæpius: numerus finitus pro infinito,* κατὰ συνεκδοχήν.

À re infinita ad finitam, ἀπὸ γένους ἐπ᾽ εἶδος. *Idem 6. Stat ferrea turris ad auras. Stare, uerbum commune est rerum fixarum: hoc in loco particulatim de turri dicitur, eadem synecdoche.*

À re infinita ad infinitam, ἀπ᾽ εἴδους ἐπ᾽ εἶδος. *Idem: Spolia occisis direpta Latinis. Diripere, pro exuere. utrunque autem, & diripere, & exuere, detrahere est,* κατὰ μετάληψιν.

Metaphora *secundum Appellationem, aut*

Nomen reciprocum habet, ὀνομασμένη ἐστὶ: *ut, Palladis hasta, & Bacchi thyrsus. sicuti enim Palladis thyrsus, ita Bacchi quoque hasta dici potest.*

Nomen non habet, ἀνώνυμός ἐστι, *cùm uidelicet translatum pro proprio collocatur, quia proprium non extat. Ita dicimus florere rempublicam, cùm tamen florere stirpium arborumúe sit. Item literas coli, cùm cultus agrorum & terræ sit proprius. Alia enim non extant uocabula, quibus melius significes, aut bene esse constitutam rempublicam, quàm si eam florere dicas: aut literarum studium exerceri, quàm si dicas coli literas.*

Metaphora secundum Modum, quo uel

- Absoluta est, *quæ nullam habet adiectionem: ut* Ouidius 2. de Ponto: *Candor in hoc æuo res intermortua.*
- Cum adiectione est, *cùm quid apponitur aut*
  - Interpretationis gratia, *καθ' ἑρμήνειαν ἢ καθ' ἀνταπόδοσιν, ad tollendam ambiguitatem.* Ouid. lib. 3. Trist. *Quiq; est in charis animi tibi candor amicis.* Animi candor, *quia etiam corporis candor est.* Idem: *Sunt animo cuncta uidenda meo. Videmus oculis, cùm intuemur: uidemus animo, cùm cognoscimus.*
  - Mitigationis causa, *κατὰ προεπίπληξιν, ἢ κατὰ προτίμησιν, ad uitandam insolentiam.* Cic. in Tusc. *Est in animis tenerum quiddam, quod ægritudine quasi tempestate quatiatur. Quasi additur, ne durior uideatur metaphora.*

Metaphora secundum Quantitatem, aut est

- Continuata, *συνεχὺς, quæ ab ea re in qua cœpit, ad finem deducitur.* Columella *libro quarto:* Veluti ignorantiæ *tenebris occæcata, luce ueritatis caruit.* Cicero 1. de Legibus: Nullius agricolæ *cultu stirps tam diuturna, quàm poëtæ uersu seminari potest.* Virgilius tertio Georg. *Si quis ferro potuit rescindere summum Vlceris os, alitur uicium, uiuitq; tegendo, Dum medicas adhibere manus ad uulnera pastor Abnegat.*
- Interrupta, *διεζευγμένη, quæ non manet in eadem re usque ad exitum: uel*
  - Cùm diuersæ res *coniunguntur.* Ouid. 1. Trist. *Dum fauet, & uultu ridet fortuna sereno, Indelibatas cuncta sequũtur opes: At simul intonuit, fugiũt, nec noscitur ulli, Agminibus comitum qui modò cinctus erat.* Cic. in Vatinium: *Medici membrum sæpe putrefactum incidunt, atque in totum eradicant, ne aliam corporis partem labefactare aut corrumpere poßit.*
  - Cùm nomen aliquod *trãsfertur, & deinde ex re, non quam alieno in loco, sed quam proprio significat, conclusio infertur.* Ouid. in Paride: *Quis enim cælauerit ignem? Lumine qui semper proditur ipse suo. Primùm ignis pro amore ponitur: sed non ab amoris, sed ab ignis natura, hoc est, à proprio uerbi significato concluditur. Cõtra in Medea: Quis enim bene cælat amorem? Eminet indicio prodita flamma suo. Primùm loquitur propriè, in altera parte metaphoricè concludit. Miscet utrũque in Leandro: Vt procul aspexi lumen, meus ignis in illo est: Illa meum (dixi) littora lumen habent. In primo uersu primùm propriè, tum metaphoricè loquitur: in altero rursus propriè. Hoc genus metaphoræ primus annotauit in libris de Inuentione Rodolphus Agricola.*

Metaphora secundũ Formã, similitudinem habet, quæ est uel

- Euidens, ἐναργὴς, quæ statim ferit animum, & intellectum apertum habet. Virgilius in Bucol. Omnia nunc rident, nunc formosissimus annus.
- Minus euidens, συνεκδοχικὴ, quæ collectione affert iucunditatem. Terent. in Adel. Si id te mordet, sumptũ filij quem faciũt. Ouid. in Hero: Pectora legitimus casta momordit amor. Morsus cupiditatis in auaro, aut amante, cogitatione quadam perceptus intelligitur, atque delectat.
- Ficta, προσωποποιητικὴ: ut cùm rebus non animatis, aut animantibus brutis, uis agendi, intelligendi'ue attribuitur. Quod genus Metaphoræ, ut est secundum Fabium, audax: ita laudatur plurimùm ab Aristotele, & Hermogene. Ouid. in Œnone: Aspicit immensum moles natiua profundum. Hîc promontorio sensus tribuitur. Virgilius 11. Æthon It lacrimans, guttisq; humectat grandibus ora. Hîc equo tribuitur intellectus.

Metaphora secundum Vsum, aut est

- Communis & peruulgata, οἰκεῖα καὶ εἰς πάντας ἥκουσα, quæ intelligentiam habet propter consuetudinem. ut Virgilius 11. Georg. de libri sui exitu canit: Sed nos immensum spacijs confecimus æquor.
- Operosa, μειρακιώδης μὴ μετρίως ἔχουσα, quæ per quandam quasi imaginem, continuatur lasciuius. Plaut. in Mostell. Illico oppidò uenit ignauia: ea mihi tempestas fuit: ea mihi aduentu suo grandinem imbremq; attulit: hæc uerecundiam mihi, & uirtutis modum deturbauit, detexitq; me illico.
- Non rectè asscita, μὴ καλῶς πεποιημένη, quæ humilis absurdáue est, & ideo minus usitata. Pers. Sat. 5. Nescio quid tecum graue cornicaris inepte. Cornicari, pro cornicum more garrire, humile est, & propemodum ineptum, si ad hominem transferatur.

¶ Obseruanda autem sunt tria in omni Metaphora, ex præceptis Aristotelis. Vult enim nos

- Primùm εὖ μεταφέρειν, ut ratione fiat translatio, ne inuasisse, sed immigrasse in alienum uideatur.
- Deinde μὴ πόῤῥωθεν, ἀλλ' αὐτόθεν, ne longius ducta sit, sed desumpta ex proximo.
- Postremò ἀπὸ καλῶν, ne sit indecorè aut inconuenienter sumpta, ne'ue offendat uel
  - Sono, φωνῇ, quando uidelicet aut est tumida, aut abiecta. Pers. Sat. 5. Hic satur irriguo mauult turgescere somno. Horat. 1. Epist. Hæc ego dictabam post fanum putre Vacunæ.
  - Significatione, δυνάμει, quæ uel ab ignotis peregrinis'ue petitur: ut, Syrtis patrimonij, pro dilapidatione: Euripus fortunæ, pro mutabilitate. Vel à rebus dissimilibus, ut Horatius de Meuio quodã inquit: Pernicies & tempestas, barathrumq; macelli.
  - Sensu aliquo ingrato, ὄψει ἢ ἄλλῃ τινὶ αἰσθήσει, quæ à rebus turpibus sumitur: ut, qui Glauciam nominauit stercus curiæ: item, Clodium prægustatorem libidinum.

DE METALEPSI.

Μετάληψις, quam Fabius transumptionē, alij commutationem appellant, dicitur (ut ait interpres Terentij) cùm ab eo quod sequitur, intelligitur id quod præcedit. Rectius igitur cæteris annotauit Philippus Melanthon in Rhetoricis, eam nō sumi à simili, sed à causa. Metalepsis distinguitur secundū

- **Ortū, quæ sumitur**
  - **A causa efficiente,** *hoc est, à propinqua. Ouid. 3. Metamorph. Attenuant uigiles corpus miserabile curæ. Curæ uigiles, quia sunt causa uigiliarum. Cic. de Senect. Non sunt ista uicia senectutis, sed inertis, ignauæ, & somniculosæ senectutis. Quòd uidelicet faciat homines inertes, ignauos, somniculosos, senectus.*
  - **A causa finali,** *hoc est à remota. eaq́ rursus est aut*
    - *Συνεκδοχική, quæ gradationem habet, in sensu, aut in intellectu. ut quæ sumitur*
      - **A signo ad signatum.** *Proper. 3. Sera sed Ausonijs ueniet prouincia uirgis. Virgæ, pro fascibus: fasces, pro imperio.*
      - **Ab effectu ad causam.** *Idem 1. Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris. Ex atris, intelliguntur nigræ: ex nigris, tenebrosæ: ex tenebrosis, profundæ.*
    - *Καταχρηστική, quæ improprietatē habet transitione aliqua. Idem 12. Voluitur ater odor tectis. Primùm accipitur odor pro fumo: deinde per atrum fumum intelligitur obscurus, per obscurum densus, per densum amarus. Ab oculis autem ad nares fit transitus.*
- **Quantitatem,** *qua aut*
  - **Simplex** *est, quæ unam tantùm habet causam, uel efficientem, uel finalem: ut in exemplis propositis est cognoscere.*
  - **Duplicata:** *eaq́ rursus est uel in*
    - **Verbo uno.** *Ouid. 1. Eleg. Ipse ego segnis eram, discinctaq́ in ocia natus. Discincta ocia, quia faciunt homines discinctos: est causa efficiens. Discinctus autem pro negligente, negligens pro tardo. est causa finalis.*
    - **Verbis plurimis,** *sed uno in loco. Virg. 1. Æneid. Tum siluis scena coruscis Desuper, horrentiq́ atrum nemus imminet umbra. Siluæ coruscæ pro raris, raræ pro perspicuis, perspicuæ pro paucarum arborum seu excisis. Item, atrum nemus pro nigro, nigrum pro denso, densum pro umbroso, umbrosum pro incæduo, seu arborum pleno.*
- **Materiam,** *qua est aut in*
  - **Nominibus.** *Virg. 1. Æneid. Cæcumq́ scelus domus omne retexit. Cæcum pro latente, latens pro occultè commisso. Plura in superioribus exemplis de hoc acta sunt.*
  - **Verbis:** *eaq́ rursus aut est*
    - **Simplex.** *Terent. in Adelp. Fœneratum isthuc beneficium pulchrè tibi dices. Dices, pro intelliges: intelliges autem, pro experieris & senties. Non dicimus, nisi quod intelligimus: nec intelligimus, nisi quod ratione aut sensu aliquo percipimus.*
    - **Duplicata,** *id est, bis uno in loco posita. Virgil. 7. Aut terram rastris domat, aut quatit oppida bello. Significat, eos aut ut agricolas terram colere, aut ut milites oppida euertere.*
    - **Mixta,** *quæ dici potest μετάληψις συνεκδοχική. Idem: Nec componere opes norant, nec iungere tauros. Qui componunt opes, partas iam habent: unde ponitur hîc consequens pro antecedente. Qui tauros iungunt, opus rusticum facere parant: unde antecedens uicissim ponitur pro consequente.*

DE METONYMIA.

Μετωνυμίας, quæ ab auctore ad Herennium denominatio, à Diomede trãsnominatio, ab alijs traductio dicitur, est commutatio nominis, cum nomine propinquo ac proprio: quæ cõmutatio ab aliquo adiuncto, aut signo est desumpta. Metonymia omnis aut est

- **Recta**, εὐθεῖα, cùm antecedentia pro consequentibus sumuntur, eaq; uero nomine dicitur μετωνυμία. Ea est aut
  - **Personarum**, ut quæ ab adiunctis sumitur, quãdo uidelicet ponitur
    - Deus pro templo. Horat. 1. Car. Quid dedicatum Apollinem Vates? Dedicatum Apollinem, pro dedicatum Apollinis templum.
    - Inuentor pro re inuenta. Catul. in Atym: Somnum capiunt sine Cere-re. id est, sine cibo.
    - Auctor pro opere. ut cùm dicimus, Suetonium aut Martialem potenti & pudico non esse legendum: significantur Suetonij & Martialis scripta.
    - Dux pro exercitu. ut cùm dicimus, Cæsa ab Hannibale ad Cannas sexaginta Romanorum millia: id est, ab Hannibalis exercitu.
    - Possessor pro re possessa. Terent. in Eun. Hunc comedendum & deridendũ uobis propino. Hunc comedendũ, id est, huius bona cõsumenda.
  - **Rerum**, ut quæ ex signis fit, quando ponitur
    - Causa efficiens pro effecta. Virg. 5. Æn. Qui iaculo incedit melior, leuibusq; sagittis. Sagittarius, pro arte sagittandi.
    - Materia pro re confecta: ut cornus pro hasta, lintea pro uelis. Propert. 4. Stetit æquore moles pinea. id est, classis.
    - Continens pro contento. Virgil. 1. Æn. Ille impiger hausit Spumantem pateram. Patera, pro uino.
    - Locus pro substantia. Idem 7. Venatu inuigilant pueri, siluasq; fatigant. Siluæ, pro feris.
    - Instrumentum pro actione. Idem 12. Tardante sagitta Genua labant. Sagitta, pro uulnere.
    - Signum pro re signata. Ouid. Magna fuit quondam capitis reuerentia cani, Inq; suo precio ruga senilis erat. Cani & rugæ, indicia sunt senectutis, ponuntur pro ipsa senectute.
    - Abstractum pro concreto. Virg. 2. Æn. Dum stabat regno incolumis, regnumq; uigebat Consilijs. Consilijs, pro consultoribus.
    - Facultas pro habitu. Idem 7. Is genus indocile, & dispersum montibus altis Composuit. Indocile, pro indoctum.
- **Indirecta**, seu inuersa, πλαγεία, ἢ ἀντίστροφος, cùm consequentia ponũtur pro antecedentibus: eaq; alio nomine appellatur ὑπαλλαγὴ. Eadem quoq; est aut
  - **Personarum**, quando ponitur
    - Res inuenta pro inuentore. ut in illo exemplo, quod à Grammaticis omnibus adducitur: Vinum precemur, nam hic Deus præsens adest. Vinum, pro Baccho.
    - Res possessa pro possessore. Virg. 12. Tuq; optima ferrum Terra tene. Terra, pro Tellure.
    - Opus pro auctore. Stat. lib. ult. Nec tu diuinam Æneida tenta, Sed longè sequere. Æneis, pro Virgilio.
  - **Rerũ**, quando ponitur
    - Effectum pro causa efficiente. Horat. 1. Car. Pallida mors æquo pulsat pede, pauperum tabernas, Regumq; turres. Pallida, quòd pallidos efficiat.
    - Contentum pro continente. Virg. 2. Æneid. Iam proximus ardet Vcalegon. pro, domus Vcalegontis.
    - Res pro materia. Idem 1. Crateras magnos statuunt, & uina coronant. Vina, pro pateris.

¶ Metonymia quoque aut est

- **Simplex**, ut in exemplis modò recitatis.
- **Geminata**: ut, Vulcanus in cornu, apud Plautum: Bacchus in auro, apud Ouidium.
- **Continuata**, quæ similis allegoriæ. Terentius: Sine Cerere & Baccho friget Venus. id est, sine cibo & potu nulla excitatur libido. Neuius: Cocus edit Cererem, Neptunum, Venerem. id est, panem, pisces, & olera. nam Veneri dicati horti sunt.

DE SYNECDOCHE.

Συνεκδοχὴ, comprehensio, seu (ut auctor ad Herenniū) intellectio: est, cùm aliud ex alio plꝰ minúsue significante, aut alienum qd significante col-

- Naturam suam, qua Synecdoche est triū generum præcipuorū. Aut enim
  - Minus dicitur, et plus intelligitur: ut quando intelligitur, ex
    - Parte totum. *Ouid. Igne quid utilius? si quis tamen urere tecta Apparat, armatas instruit igne manus. Tecta, pro domibus.*
    - Specie genus. *Virgil. 1. Georg. Poculaq; inuentis Acheloïa miscuit undis. Acheloia, pro quibusuis.*
    - Priore posterius. *Idem 3. Æneid. Sed fugite ô miseri, fugite, Miseri enim eritis, nisi fugeritis.*
    - Vno plura: *ut cùm dico Sybaritam luxuriosum, & omnes intelligo: item Scytham ebrium, & gentem uniuersam noto.*
    - Antecedente consequens. *Virg. 6. Furiarum maxima iuxtà Accubat, & manibus prohibet contingere mensas. Pro, cibum capere.*
    - Materia res confecta. *Virg. 12. Sonitum dat stridula Cornus, & auras certa secat. Cornus, pro sagitta.*
  - Plus dicitur, & minus intelligitur, ut quando intelligitur è
    - Toto pars. *Virg. 12. Labris splendentibus amnem Inficit. Amnem, pro aqua ex amne hausta.*
    - Genere species. *ut cùm poëtam nomino, & intelligo Homerum.*
    - Pluribus unum. *Tibul. lib. 2. Nec nos sacrilegos templis admouimus ignes, Nec cor sollicitant facta nefanda meum. In primo uersu de se uno loquitur numero plurali, in altero id corrigit.*
    - Posteriore prius. *Virgil. Nec scuta aut spicula densi Deponunt. Densi, pro frequentes.*
    - Consequente antecedens. *Terent. in Phorm. Quid nam ille commotus Venit? Commotus. id est, celer. nam qui properat, commouetur.*
    - Re confecta ipsa materia. *Virg. 11. Fundam tereti circum caput egit habena. Habena, pro corio.*
  - Alienū dicitur, et proprium intelligitur: quæ figura etiā ἔνδειξις, et ab auctore ad Herennium significatio appellatur: uel
    - Cùm *altiorem præbet intellectū oratio, quàm quem uerba per se ipsa declarant: id quod Fabius laudat lib. 4. cap. 3. Ouid. 3. Metamorph. Longo caput extulit antro Cæruleus serpens. Antri appellatione & magnitudine, quantus fuerit serpens significatur. Virg. 3. Æn. Ceruicem inflexā posuit, iacuitq; per antrum Immensum. Antri spacio & longitudine, Polyphemi uastitatem depingit.*
    - Cùm *ex historia ostenditur numerus aut tempus. Iuuen. Rari quippe boni: numero uix sunt totidem, quot Thebarum portæ, uel diuitis ostia Nili. Hoc est, septem. Ouid. At mihi iam uideor patria procul esse tot annos, Dardana quot Graio Troia sub hoste fuit. Pro, annis decem.*
    - Cùm *ex loco significatur formæ alicuius præstātia. Terent. in Eunuch. Elephantis quem Indicis præfecerat. Pro, maximis. Propertius lib. 4. Blandiciæq; fluant per mea colla rosæ. Pro totius Italiæ odoratißimis. Talia sunt poëtis usitatißima, Thus Sabæum, mel Hymettium, spica Cilissa, uinum Falernum, cos Naxia, aper Marsus, ursus Lucanus, & his similia.*
- Consecutionē, aut est
  - Ἀνακόλουθος, *quæ inuerti nunquam potest: ut, Abies pro naui dicitur: sed non contrà, nauis pro abiete.*
  - Ἀκόλουθος, *quæ inuertitur uel*
    - Vsitatè *& frequenter, ut cùm antecedens cum consequente, & consequens cum antecedente commutatur: ut, Religio pro metu. Virg. 2. Æn. Antiqua cupressus Religione patrū multos seruata per annos. Contrà, metus pro religione. Idem 7. Laurus erat tecti medio, in penetralibus altis, Sacra comam, multosq; metu seruata per annos.*
    - Minus *usitatè, cùm uidelicet obstat consuetudo, uel auctoritas: ut, Totum pro parte non sæpe legitur: & res confecta pro ipsa materia ponitur rarißimè.*

cante col-

cāte colligimus. Hæc diuiditur secundū

- Quantitatem, aut
  - Simplex est, de qua iam satis exemplorum est positum.
  - Duplicata est. Horat. 2. Non ita Carpathiæ uariant Aquilonibus auræ. Carpathium mare, pro quouis æquore: auræ Aquilonis, pro quibusuis uentis.
- Habitum, aut est
  - Vulgaris & usitata, εὔχρηστος, qua in quotidiano sermone rectè utimur. Ouid. 3. Trist. Nil ita cælabas, ut non ego conscius essem, Pectoribusq; dabas multa tegenda meis. Pro, pectori meo. Terent. ô lepidum caput: pro, ô homo lepide.
  - Singularis & inusitata, ἄχρηστος, qua Poëtæ crebrius atque licentius utuntur, aut raritatis aut uenustatis gratia. Verùm quid usus communis postulet, quid sit ab eo remotum, exercitati iudicabunt.

DE ANTONOMASIA.

Ἀντωνομασία, quam auctor ad Herenniū, eūq; secuti Grammatici, pronominationē uertūt: est, cū pro proprio nomine, ponitur id quod potest esse cū proprio, quamuis sit extra id positum. Hæc diuiditur aut secundum

- Qualitatem, qua Antonomasia est duorum generum. Vtimur enim loco
  - Nominis proprij, uel
    - Patronymico, hoc est aui aut patris nomine: uel in
      - Vno uocabulo: ut, Ledæa, modò pro Helena, modò pro Hermione: hoc est, pro filiæ uel neptis nomine.
      - Diuersis: ut, Æacides pro Achille, quia fuit Æaci nepos: Pelides pro eodem, quia Pelei fuit filius.
    - Patronymici circuitione: ut, Ouid. Strophio atq; Agamemnone nati: pro, Pylade & Oreste.
    - Patri aut loci appellatione: ut, Pataræus aut Cynthius: pro, Apolline.
    - Adiectione qualitatis. Virgil. 4. Æn. Thalamo quæ fixa reliquit impius. Per impium intelligitur Æneas.
    - Nomine aliquo generali, quam figuram nominatim uocant κατ' ἐξοχὴν, ἢ καθ' ὑπεροχὴν: ut Poëta, pro Homero aut Virgilio: sapiens, pro Socrate, aut Lælio: senex, pro hero: item domina, pro matrefamiliâs, apud Comicos.
  - Appellatiui proprio: ut, Margites pro fatuo, Samia pro meretrice.
- Quantitatem, qua est aut
  - Simplex, quæ in uno uerbo est, ut iam uidimus.
  - Duplex, quæ duo complectitur pro uno. Virg. 2. Æn. Iam summas arces Tritonia (respice) Pallas Insedit. Tritonia, pro Minerua, à loco: Pallas, pro eadem, ab officio.
- Materiam, qua sumitur uel
  - Ab animo. Virg. 5. Æn. Nunc nunc incumbite remis, Hectorei socij. pro, uirtute Hectori pares.
  - À corpore: ut, Polyphemus pro homine uasto, Thersites pro deformi.
  - À re aliqua externa. Ouid. Irus & est subitò, qui modò Crœsus erat. Irus, pro paupere: Crœsus, pro fortunato.
- Vsum, quo est aut
  - Illustris, cùm aliquid dicimus significantius: ut si uirum facundia, sapientia, aut ætate uenerabilem, Nestorem quis appellet.
  - Vulgaris. Cic. pro Murena: Non multa peccas, inquit ille fortißimo uiro, senior magister: sed si peccas, te regere possum. Per uirum fortißimum Achillem, per seniorem magistrum, Chironem Achillis præceptorem intelligit.
  - Vsitata tantùm Poëtis, ut cùm nomen generis, uel loci appellatio, loco proprij sumitur: ut, Anchisiades uel Troianus, pro Ænea.

DE CATACHRESI.

Κατάχρησις, *seu (ut Cicero de Oratore) Abusio, est uerbi in significatu non proprio usurpatio. Hæc diuiditur aut secūdum*

- Qualitatem, *qua aut*
  - Manet *in eodem rerum ordine. idq; rursus uel*
    - Specie non mutata. *Teren. in Hec. Amaræ mulieres sunt, non facilè hæc ferunt. Amara mulier, pro molesta. Qualitas, pro qualitate. altera enim corporis, altera animi est: altera sensus, altera affectus.*
    - Specie mutata. *Virg. 12. Voluitur ater odor tectis. Odor pro fumo, sensus narium pro oculis: ater pro amaro, sensus oculorum pro naribus. Nam paulo antè dixerat, Fumoq; impleuit amaro. Idem 7. Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis Spicula contorquent. Acres arcus, pro firmis. Habitus animi, pro corporis: à re animata ad non animatam.*
  - Non manet *in eodem rerum ordine, ut cùm ponitur*
    - Quantitas pro qualitate. *Cic. de Natura deorum: Nemo uir magnus, sine aliquo afflatu diuino unquam fuit. Magnus, pro ingenio eximius.*
    - Quantitas pro tempore: *ut, Breue lilium, & breues rosæ, apud Horatium: pro non diuturnis.*
    - Qualitas pro substantia. *Cicero secundo de Legib. Quid est cur paupertatem deorum aditu arceamus? præsertim quum ipsi Deo nihil minus gratum futurum sit, quàm non omnibus patere ad se placandum & colendum uiam. Paupertatem arceamus, id est, homines pauperes.*
- Formam, *qua habet aut*
  - Aequalitatem, *ut cùm paria sumūtur pro paribus: quod è superioribus exemplis licet cognoscere.*
  - Inæqualitatem, *ut quando ponitur nomen*
    - Humile pro maiori: *ut Virgilius gurgitem & uadum pro mari dicit. Martialis: Sine fece diem. pro, sine nubibus: id est, serenum.*
    - Maius pro humili: *ut, Si lauacrum aut balneum piscinam nomines.*
- Vsum, *quo habet aut*
  - Voluntatem, *cùm extat uocabulum proprium, & tamen sumitur minus proprium: quod etiam à Poëtarum exemplis modò positis liquet.*
  - Necessitatem, *cùm uox propria non est, & adsciscenda alia est: ut quum dicimus, Læticiam in agro, ingenium in terra, luxuriam in segete, oculum in uite, genua in culmo, pedem in naui.*

DE ONOMATOPŒIA.

Ονοματοποιΐα, uel (ut auctor ad Herennium) Nominatio: ut Fabius, nominis fictio, est, cùm rem nominamus, cui nomen non est, aut certè non est idoneum. Hæc diuiditur secundum

- Materiam, qua est uel in re
  - Vsitata, *ut in uerbis antiquis: qualia sunt*, Fragor, tinnitus, serra: *item*, Vagire, rudere, barrire.
  - Noua, *ut in recenter fictis: quæ uerba* πεπλασμένα, & πεποιημένα *dicuntur, fiuntq; triplici modo: aut*
    - Imitatione, μιμήσει: *ut bombarda.*
    - Deductione, παραγωγῇ, *uel (ut nonnulli)* ἀναλογίᾳ. *ut, Quemadmodum beatitudo dicitur, ita gratitudo dici posset, licet hoc apud Ciceronem non legatur.*
    - Mutuatione *è lingua peregrina*, τῇ γλώττῃ: *ut* Bisemutū & Cobaltum, *genera fossilium sunt in nostris metallis, quæ uernaculis uerbis appellamus, quia apud ueteres aut non extiterunt, aut cognita non fuerunt.*
- Tempus, *quo aut est in*
  - Simplici uerbo, *cùm uidelicet caret tractatione.*
  - Tota sententia, *cùm iucunditatis aut euidentiæ causa adhibetur.* Virgil. 1. Georg. *Stipulam crepitantibus urere flammis.* Idem 11. Æneid. *Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.*

DE AVXESI.

Αὔξησις, *uel amplificatio, uel incrementū, est, cùm loco proprij uerbū maius ponitur. Ea diuiditur secundum materiā: estq; uel in*

- Nominibus, *ijsq; aut*
  - Proprijs, ἰδίοις, *ut si uirum sapientem, nostrorum temporum diceremus* Lælium. *Tale illud Martialis:* Sint Mecœnates, non deerūt Flacce Marones. *Cùm dicere uelit,* Hominum *copiosorum liberalitate excitari doctorum ingenia, quouis tempore: ut sit factum Mecœnatis & Virgilij.*
  - Cōmunibus, προσηγορικοῖς: *quod incrementū sumitur uel à*
    - Substātia, *eaq; uel*
      - Speciei similis: *ut ab homine ad hominem.* Terent. in Eunuch. *Quid ais uenefica?* Item: *Quid ais sacrilega? Pro, improba & scelerata.*
      - Speciei diuersæ: *ut à bruto ad hominem.* Idem ibidem: *Ain' uerò canis? pro, impudente.* Idem in Adelph. *Quid? tu huic asine auscultas? pro, stulto.*
      - Differentiæ diuersæ: *ut ab inanimato ad animatum.* Idem in Heaut. *Quid stas lapis? pro, stupido.* Item in Eunuch. *Satis diu hoc iam saxum uoluo.* Pro, *homine molesto.*
    - Rebus accidentibus: *ut à*
      - Qualitate: *ut, Scelus pro scelesto, sapientia pro homine sapiente.*
      - Priuatione. Ouid. 3. de Arte: *Concidit, & subitò muta dolore fuit. Muta, quæ nihil respondit.*
      - Habitu: *ut, Sordidatus, pro paupere: obsitus æuo, pro deformi.*
      - Similitudine. Virg. 3. Æneid. *Dij talem terris auertite pestem. pro, homine noxio & timendo.*
      - Comparatione. Horat. 1. Epist. *Vt possim pinguis Phæaxq; reuerti. Phæax, pro homine uoluptuario.*
- Verbis, *quæ sumuntur uel à*
  - Motu & impetu animorum: *ut cùm dicimus* Exanimatum *esse, qui est territus: occidisse, cui res acerba acciderit.*
  - Gestu corporis: *ut, Exilire pro irasci.* Cœlius ad Ciceronem: *Cæsar iratus senatui, exilit.* Bacchari uel κορυβαντιᾶν, *pro insanire.* Cic. in Catilinam: *Quibus tu gaudijs exultabis, quanta in uoluptate bacchabere?*

DE HYPERBOLE.

Ὑπερβολή, (quæ ab auctore ad Herenniū quodam in loco Exuperatio: ab eodem, et à Cicerone 3. de Oratore, superlatio: à Fabio lib. 8. superiectio uertitur: & à recentioribus excessus nominatur) est, quum loco proprij uerbum excedens, uel incredibile ponitur. Hæc diuiditur secundum

- Formam, qua sumitur aut à
  - Similitudine, quæ est paris, habetq; εἰκασμόν. Terent. in Adelph. Tam excoctam reddam, atque atram, quàm carbo est.
  - Comparatione, quæ est maioris, & habet ἀντιπαραβολήν. Virgil. 12. Ante notos Zephyrosq; uolant. Vult enim dicere, equos esse uelocißimos.
  - Excessu, quæ est plus quàm maioris, qui excessus habet σημεῖα, estq; aut rei
    - Veræ, τὸ ὄντως. Virg. 8. Æn. Fugit ilicet ocyor Euro.
    - Fictæ, τὸ ὑπάρχοντως. Idem: Pedibus timor addidit alas.
    - Veræ fictæq; simul, τὸ μικτόν: Ocyor & uentis, & fulminis ocyor alis. Idem: Qui candore niues anteirent, cursibus auras.
- Compositione, qua est aut
  - Simplex, quæ unius tantùm rei est. Horat. 1. Car. Quòd si me Lyricis uatibus inseris, Sublimi feriam sidera uerticè. id est, ad cœlum usque celebris ero.
  - Duplex. eaq; rursus fit, uel cùm
    - Duæ simul adhibentur hyperbolæ. Virg. 1. Æneid. Illa uel intactæ segetis per summa uolaret Æquora, nec teneras cursu læsisset aristas: Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.
    - Vna uni superadditur. Cic. in Antonium: Quæ Charybdis tam uorax? Charybdim dico, quæ si fuit, fuit animal unum. Oceanus mediusfidius uix uidetur tot res, tam dißipatas, tam distantibus in locis positas, tam citò absorbere potuisse.
- Vsum auctorū, quo aut est
  - Oratoria, quæ excedit fidem: sed tamen grauitatem habet, & est ἀνδρώδης, eaq; uel est in
    - Verbo simplici: ut cùm Platonem, Deum philosophorum Cicero appellat.
    - Integra sententia. Idem: Plerisque senectus ita grauis est, ut onus se Ætna grauius dicant sustinere. Onus Ætna grauius: pro, maxima ætatis molestia.
  - Poëtica, quæ excedit modum, neque adhibetur ut fides narrationi habeatur, sed ut quantū in re sit demonstretur. & est, secundū Aristotelem, μεγαλειώδης. Eadem quoque est uel in
    - Verbo simplici. Vt cùm Virgilius Scipiones, duo fulmina belli fuisse canit.
    - Integra sententia. Idem: Graditurq; per æquor Iam medium, necdum fluctus latera ardua tingit.
- Respectum diuersum, quo habet aut
  - Intellectum simplicem, qualem uidimus in omnibus modò enumeratis exemplis.
  - Intellectum ambiguum, quæ potest dici ἀμφιτρόπισσα. Virgil. 3. Æneidos: Ipse arduus, altaq; pulsat Sidera. Hoc si referas ad corpus, est hyperbole maior, quasi erigendo se impingat in sidera: sin ad animum & mores torqueas, est hyperbole minor, quasi tantæ ferocitatis sit, ut etiam cœlestes impetat conuicijs, ut apud Homerum & Euripidem de Cyclope legitur. Ambiguitatem autem in hyperbole sponte captauit Poëta, ad insolentiæ incremētum. ut & in alio uersu: Ætnæi fratres, cœlo capita alta ferentes.

DE MIOSI.

- *Μείωσις, seu diminutio, seu imminutio, uel (ut alij) extenuatio, est, cùm loco proprij ponitur minus. Ea diuiditur dupliciter: secundum*
  - Dictionem, *qua est aut in*
    - Nominibus, *ut cùm ponitur*
      - Diminutiuum loco primitiui, *καθ' ὑποκορισμόν. Cic. in Pisonem: Quid cessat hic homulus, ex argilla & luto factus Epicureus, dare hæc præcepta præclara sapientiæ, clarißimo & summo Imperatori genero suo?*
      - Humile loco proprij, *κατὰ ταπείνωσιν: ut Cato in Originibus dixit uerrucam montis, pro colle: Lucretius lacunas salsas, pro mari.*
    - Verbis, *ut cùm ponitur*
      - Diminutiuum *uice originis, καθ' ὑποκορισμόν. Terentius in Adelph. Cyathos sorbillans paulatim hunc producam diem: pro, sorbens.*
      - Humile loco grauioris, *κατ' ἐλάττωσιν: ut cùm attigisse tantùm dicimus, eum qui uulnerauit.*
  - Orationem, *cùm minus dicitur, & plus significatur, est duplex. Nam aut*
    - Negando confirmamus, *κατὰ λιτότητα, uel (ut alij) λειπότητα. Virgilius duodecimo: At non hæc nullis hominum sator atque deorum Obseruans oculis. Pro, maximè intentis oculis obseruans.*
    - Minuendo amplificamus, *κατ' ἐξουθενισμόν. Terent. in Phor. Cui minus nihilo est.*

¶ Interdum *inter se opponuntur Hyperbole & Miosis. Terent. in Eunuch. Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus: næ tu istas faxo calcibus sæpe insultabis frustra. Interpres utrunque genus nominat ὑπερβολήν.*

DE TROPIS VERBORVM CONIVNCTORVM.

DE PERIPHRASI.

Περίφρασις (ut auctor ad Herennium, circuitio: ut Diomedes, circumlocutio: ut Fabius, eloquēdi circuitus: ut nonnulli recētiores, elocutio, aut dilatatio) est uerbi simplicis circūscriptio aut dilatatio. Hæc diuiditur secundum

- Orationis genus, quod est aut in
  - Dictionis *circumscriptione, cùm simpliciter plura pro uno ponuntur: ut, Obscurus aër, pro nube: dare ad aliquem literas, pro scribere.*
  - Sententiæ dilatatione, *cùm effertur multis uerbis, quod dici paucioribus poterat.* Ouid 4. *Fast. Cùm Phrygis Assaraci Tithonia fratre relicto, Sustulit immenso ter iubar orbe suum. id est, cùm ter orta fuerat aurora.*
- Materiā, qua est aut in
  - Nominibus, eaque rursus uel in
    - Proprijs: *ut, Tenerorum scriptor amorum: Ouidius de sese. Ille uir haud magna in re, sed fidei plenus: Cicero de Ennio.*
    - Appellatiuis, uel quum circumloquimur simplex
      - Quoquo modo. Ouid. 4. *Trist. Cuius inest animo patrij candoris imago. Pro, patrius candor. Idem: Quô quisque est maior, magis est placabilis iræ. Pro, placabilior.*
      - Explicando. Virg. 9. *Quis globus ô ciues, caligine uoluitur atra? caligo atra, pro nebula.*
      - Disiungendo. Terent. in Hec. *Pugilum gloria, funambuli eodem accessit expectatio. Pro, pugiles gloriosi, & gratus funambulus.*
  - Verbis, uel cum circumloquimur
    - Partem. Ouid. 1. *Trist. Atque utinam possent pro te mea uota ualere. Pro, utinam ualerent. Idem 3. Spes igitur superest facturum, ut molliat ipse Mutati pœnam conditione loci. Pro, Spes superest ipsum molliturum. Huc faciunt* παρέλκοντα, & μακρολογίαι *comicæ.*
    - Totum. Cic. 1. Off. *Turpe diffluere luxuria, & delicatè ac molliter uiuere. Pro luxuriari, uel luxuriosum esse. Idem in Vatinium: Tantam potentiam ueritas habuit, ut nullis machinis, aut cuiusquam hominis ingenio, aut arte, subuerti potuerit. Id est, tam potens ueritas est, ut sit inuicta.*
- Formam, qua fit aut
  - Explicatione nominis, κατ' ἐτυμολογίαν, *uel, ut alij,* κατ' ἀντίλεξιν, *qua utuntur Grammatici: cùm originem interpretamur. ut, diuinorum sermonum interpres, pro theologo. Virg. in Bucol. Descripsit radio totum qui gētibus orbem. Pro, Geometra.*
  - Definitione nominis, καθ' ὁρισμὸν, *uel* κατ' ἔννοιαν, *qua Dialectici: cùm quid res sit ostendimus. Tibull. 1. Pax aluit uites, & succos condidit uuæ. Succus uuæ, pro uino. Ouid. 8. Metamorph. Fertur, ut excussis elisus nubibus ignis. id est, ut fulmen.*
  - Notatione, κατὰ σύμβολον, *uel* κατ' ὑπογραφὴν, *qua Rhetores utuntur: cùm rem quampiam per notas accidentium describimus. Virg. 3. Æneid. Dentibus infrendens gemitu. Pro irato. Idem 5. Alternaq; iactat Brachia protendens, & uerberat ictibus auras. Pro pugile.*
- Quantitatem, qua est aut
  - Vnius membri, *quæ fit dilatatione,* κατ' ἐπέκτασιν: *ut cùm descriptio ponitur loco simplicis. Virg. 1. Æneid. Corpusq; exangue sepulchro Reddidit Hectoreum. Corpus exangue, pro cadauere.*
  - Multorum membrorum, *quæ fit assumptione,* κατὰ πρόσληψιν: *cùm non nominatur persona, sed circumstantijs quibusdam indicatur. Idem 3. Priameïa uirgo Hostilem ad tumulum, Troiæ sub mœnibus altis, Iussa mori. Pro Polyxena. Ouid. 4. de Ponto: Et qui Penelope rescribere iussit Vlyssem, Errantem sæuo per duo lustra mari. Pro, Sabino poëta. Virg. 1. Æneid. Arma uirumq; cano, Troiæ qui primus ab oris Italiā fato profugus, Lauinaq; uenit Littora: multum ille & terris iactatus, & alto, Multa quoq; & bello passus. Pro, Ænea.*

- **Qualitatem:** *qua secundum diuisionem Diomedis, aut*
  - **Breuitatem** *splendidè producit,* κατ' ἔμφασιν. Ouid. 4. Fast. *Nox ubi transierit, cœlumq́; rubescere primò Cœperit, & tactæ rore querentur aues: Semustamq́; facem uigilata nocte uiator Ponet, & ad solitum rusticus ibit opus. Hæc omnia ponuntur pro tempore diluculi.*
  - **Fœditatem** *circuitu deuitat,* κατὰ περιπλοκήν. Idem in Heroid. *Est aliquid plenis pomaria carpere ramis, Et teneram primo deligere ungue rosam.*
- **Situm,** *quæ cōsideratione orationis simplicis, aut est in parte*
  - **Prima,** *hoc est, in nomine, seu in subiecto.* Horat. *Qui cupit optatam cursu contingere metam, Multa tulit, fecitq́; puer. Id est, qui progredi in studijs uult, patiens & laboriosus sit oportet.*
  - **Secunda,** *hoc est in uerbo, seu in prædicato.* Cic. 1. Offic. *Homo consequentia cernit, causas rerum uidet, earumq́; progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusq́; præsentibus adiungit atq; annectit futuras, facilè totius uitæ cursum uidet.* Hoc nihil aliud est, quàm Homo est rationis particeps.
  - **Vtraque,** *id est, in subiecto simul, & prædicato.* Ouid. *Adde quòd ingenuas didicisse fideliter artes, Emollit mores, nec sinit esse feros. Id est, Doctrina parit humanitatem.*
- **Compositionem,** *qua est aut*
  - **Solitaria,** *cùm sine alterius figuræ adiectione ponitur: ut in tot exemplis est manifestum, quæ posuimus.*
  - **Mixta,** *cùm iungitur cum antonomasia.* Ouid. in Trist. *Maius apud Troiam forti quid habemus Achille, Dardanij lacrimas non tulit ille senis.* Dardanus pro Priamo, ἀντωνομαστικόν. Dardanius senex, pro eodem, περιφραστικόν.
- **Vsum,** *quo adhibetur aut propter*
  - **Necessitatem,** *uel cùm*
    - **Simplex non extat,** *& circumscripto utendum est. Vt cùm nomino artem cudendi libros notis æneis uel plumbeis, quæ nomine Græco Typographia: studium sapientiæ, quæ Philosophia: facultatem disserendi, quæ dicitur Dialectica.*
    - **Simplex extat** *quidem, sed turpitudinis uitandæ causa circumscribitur.* Plaut. in Aulul. *Etiam'ne obturat inferiorem gutturem?*
  - **Ornatum uel uarietatem,** *qua Poëtæ utuntur frequentissimè, & non rarò Oratores: sed hi astrictiùs, & maiore cum delectu.*

DE ALLEGORIA.

Ἀλληγορία, quã auctor ad Herẽnium permutationẽ, Fabius inuersionem nominat: dicta est, quasi ἄλλο ἀγορεύουσα. aliud enim dicitur, aliud intellitur. Hæc dicitur παρ᾽ ὑπόνοιαν, ab Aristophanis interprete. Diuiditur autem secundum

- **Materiam, qua est aut in**
  - **Parte orationis**, *cùm aliqua pars intelligitur simpliciter, aliqua profertur obscurè. Cic. Miror, querorq́;, quẽquam hominem ita pessundare alterum uelle, ut etiam nauim perforet, in qua ipse nauigat.*
  - **Tota oratione**, *quæ plerunque fit in*
    - **Prouerbijs.** *ut si dicerem, Fœnum in cornu habet, acetum in pectore: de homine cupido uindictæ, & nequaquam stupido.*
    - **Apologis.** *Horat. in Arte: Parturient montes, nascetur ridiculus mus. De magna expectatione, quæ tandem exit in ludibrium.*
    - **Symbolis**, *ut in illo Pythagorico, Panem ne frangito: hoc est, ne dissoluito pacem & communionem, quæ præstant hominum uitæ tranquillitatem.*
- **Quãtitate, cuius ratione aut est**
  - **Continuata**, συνεχής, *quæ continentem habet obscuritatem. Horat. 1. Car. Heu quoties fidem, Mutatosq́; deos flebit, & aspera Nigris æquora uentis, Emirabitur insolens: Qui nunc te fruitur credulus aurea, Qui semper uacuam, semper amabilem Sperat, nescius auræ Fallacis. Describit Poëta mulierum inconstantiam, quæ auræ marinæ ritu, modò fauent amatoribus, modò eisdem quasi uentorum impetu sunt obstaculo.*
  - **Interrupta**, διεζευγμένη, *quæ interpretatione eget propter obscuritatem, aut in*
    - **Parte prima.** *Propert. 3. Quid me scribendi tam uastum mittis in æquor? Non sunt apta meæ grandia uela rati: Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta. Hîc sententiæ obscuræ adiungitur apertior, quæ à posteriore explicatur.*
    - **Parte secunda.** *Horat. 3. Car. Rebus angustis animosus, atq; Fortis appare: sapienter idem Contrahes uento nimium secundo Turgida uela. Hîc apertæ sententiæ subiungitur obscurior, quæ lucem accipit ab antecedente.*
  - **Mixta**, μικτή, *cùm proprijs & apertis uerbis interponuntur permutata atq; obscura. Cic. pro Sestio: Cùm hominibus eneruatis atq; exanguibus Consulatus, tanquam gladius esset datus: qui per se pungere neminem unquam potuissent, hi summi imperij nomine armati, rempublicam contrucidauerunt.*
- **Formam, qua aut habet**
  - Μεταφορὰν, *estq́;* ὁμοιωτική, *in qua inest similitudo, ut ita dicam, specialis. Tibull. 3. Quid fraudare iuuat uitem crescentibus uuis, Et modò nata, mala uellere poma manu? Loquitur de ætate florente, quam uuis & pomis nondum maturis comparat.*
  - Περίστασιν, *estq́;* παραδειγματική, *in qua est similitudo exemplaris. Iuuen. Tertius è cœlo cecidit Cato.*
- **Tractationem, qua aut est**
  - **Vsitata**, *quæ similitudinem uel exemplum notum habet. Cic. pro Quintio: Quò fit, ut ego, qui tela depellere, & uulneribus mederi debeam, tum id facere cogor, cùm etiam telum aduersarius nullum iecerit: & si qua in re falsum crimen, quasi uenenatum aliquod telum iecerit, medicinæ faciendæ locus non erit.*
  - **Minus usitata**, *in qua similitudo aut exemplum propter obscuritatem accedit ad ænigma. Idem pro Roscio Amerino: Te pugna Cannensis accusatorem sat bonum fecit: multos cæsos non ad Thrasymenum lacum, sed ad Seruilium uidimus. Quis ibi non est uulneratus ferro Phrygio?*

DE ÆNIGMATE.

Αἴνιγμα est tecta & inuoluta allegoria. Αἰνίγματα ueteres appellasse scirpos, scribit lib. 12. Gellius. aliqui etiã uertũt obscuritates. Ænigma alij subijciũt Allegoriæ: sed separari eadem ratione possunt, ut à Metaphora Catachresis fuit separata. Allegoria usitata est, & aliquo modo ad sententiam declarãdam facit, per rem aliam: Ænigma uerò minus usitatum, & ad intelligẽtiam obscurandam affertur. Hæc igitur est aut in

- Compositione pugnantium, *quod genus figuræ Asconius Pædianus & Terentij interpres nominant ὀξύμωρον. Cic. in 1. Verrina: si tacent, satis dicunt. Ter. in Eun. Nihil cùm est, nihil defit tamen. Virg. 7. Æn. Num capti potuere capi? num incensa cremauit Troia uiros?*
- Continuatione prouerbiorum. *ut si dicatur ei, qui ob uitæ genus durius tacitis curis se affligat & excruciet: Arctum annulum gestans, cor ne edito. Aut de eo qui propter cupiditatem aliquam impeditam, ad uindictam promptus sit: Si bolum hunc ei è faucibus eripueris, Fumantem nasum uiui tentaueris ursi.*
- Implicatione sermonis, *quod genus sophistarum uocabulo γρίφους nominant: Gellianus adolescens, σκιρτῶν σκαζούσας θεωρίας. Quale est illud apud Ausonium, cùm ait de interprete ænigmatum, qui Theoni suo*

  Cadmi nigellas filias,
  Melonis albam paginam,
  Notasq; furuæ sepiæ,
  Gnidiosq; nodos protulit.

  Cùm dicere uellet, scriptas literas in charta atramento & calamis. Diomedes hoc affert exemplum: Mare cõcretum in creta, & in campo ligneo, in quo caro humana ludit oßibus. Idq; interpretatur hoc modo: Salem in uase fictili mensæ appositum, in quem manus conuiuarum talos conijcerent.
- Obscuritate rei externæ, *quæ diuinatione egeat. Virg. in Buc. Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo) Tres pateat cœli spacium non amplius ulnas.*

TROPI PRONVNCIATIONIS.

DE IRONIA.

Εἰρωνεία, uel dißimulatio, uel (secundum Fabium) illusio, est irrisio festiua, cùm quadã urbanitate. Hæc duorũ generũ est:

- Simplex, *τοῦ τρόπου, quæ est ἀποφαντική, & nihil habet obscuri. Eáque uel est in*
  - Verbo uno, *quæ appellatur ἀντίφρασις: ut cùm bellum dico, & rem minimè bellam intelligo. Item, cùm Pontum Euxinum, & significo ἄξενον seu inhospitalem.*
  - Verbis pluribus. *eaq; rursus aut habet*
    - *Ἀντιστροφὴν, ita ut Homeri interpres nominat, cùm copulantur contraria: ut apud Horatium, Amando perdere.*
    - *Παράγραμμα, ut nominat Aristoteles, cùm connectuntur ambigua. Cic. pro Roscio: Nisi ijdem sint sectores bonorum, & collorum.*
- Formata, *τοῦ σχήματος, quæ est ὑποκριτική, & in gestu ac pronunciatione consistit. Huius tres sũt species:*
  - Cùm mitigantur *aspera gratiosis, χαριεντισμός. Ter. in Eun. Bone uir Dore, salue: dic mihi, aufugistin'? satin' id tibi placet? Virg. 6. Egregia interea coniunx, arma omnia tectis Emouet.*
  - Cùm natiuis *supponuntur aliena, ἀστεϊσμός. ut, Vectius quidam spreta religione sepulchrorum, in agro patrium monumentum aratro effoderat: de quo Augustus Cæsar dicebat, Vectium patris monumentum uerè colere.*
  - Cùm uera *componuntur cum non ueris, διασυρμός. Ter. in Adelph. Nunquã uidi iniquius certationem comparatam: ego uapulando, ille uerberando usquè ambo defeßi sumus.*

DE SARCASMO.

Σαρκασμὸς, siue exacerbatio, est dicacitas cũ morsu & iracundia, uel (ut Seruius) risus cum amaritudine, & quædam quasi hostilis insultatio. qualis uox Turni ad hostem occisum. 12. Æn. En agros, & quam bello Troiane petisti, Hesperiam metire iacens. Huius species sunt,

- Μυκτηρισμὸς, uel subsannatio, quæ est illusio, cum risu simulato, non tamen obscuro aut latente. Virg. 7. Cura tibi, diuûm effigies & templa tueri, Bella uiri pacemq; gerant. Turni uerba sunt ad anum sacerdotem, quæ bella suadebat.
- Χλευασμὸς ἢ ἐπικερτόμησις, uel (ut rectius alij existimant dici) χλευασία, idest, insectatio, quæ est cum risu tecto & inopinato. Idem in Buc. Qui Bauium non odit, amet tua carmina Mæui: Atq; idem iungat uulpes, et mulgeat hircos.

DE MIMESI.

Μίμησις, seu imitatio, est corporis animiq; ad alienum sensum expressio. Mimesis quæ pertinet ad

- Corpus, fit, uel cùm describuntur
  - Substantiæ ueræ, quod genus figuræ multa habet nomina. dicitur enim διατύπωσις, εἰκὼν, ἀπεικασμὸς, προσωπογραφία, χαρακτηρισμὸς, χρηστηρισμὸς: ab auctore ad Herenniũ, effictio & notatio: à Ruffiniano, figuratio seu expreßio. Hæc aut est,
    - Imperfecta. Terent. in Phor. Si quis me quæret, ruffus.
    - Perfecta. Plaut. in Pseud. Ruffus quidam, uentriosus, crassus, subniger, magno capite, acutis oculis, ore rubicundo, admodum magnis pedibus. Virg. 3. Æn. Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.
  - Substantiæ non ueræ, uel cùm personæ
    - Nouæ finguntur: ut Arcturi sideris, apud Plautum. hæc dicitur προσωποποιΐα, & ab interprete Terentij σωματοποιΐα.
    - Defunctæ inducuntur: ut Atrei & Thyestis, in tragœdijs. Hæc appellatur εἰδωλοποιΐα, uel σχεδιασμὸς, uel μεταμόρφωσις.
- Animum: ea est uel
  - Simplex, ut cùm describitur morum uel ingenij qualitas, ea dici potest διατύπωσις, uel ἀποσημείωσις, uel ἠθολογία. Ouid. 11. Met. Autolycus furtũ ingeniosus ad omne: Qui facere assuerat, patriæ non degener artis, Candida de nigris, & de candentibus atra. Virg. 11. Æn. Drances, quem gloria Turni, Obliqua inuidia stimulisq; agitabat amaris: Largus opum, & lingua melior: sed frigida bello Dextera, consilijs habitus nec inutilis auctor, Seditione potens.
  - Conformationem habet. Ea generum duorũ est. aut enim hominis
    - Oratio exprimitur, ut cùm ut
      - Nostrum ipsi sermonem repetimus, quæ dici potest μίμησις διαλογιστικὴ. Ter. in Eun. Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem Cùm accersor ultro? An potius ita me comparem, non perpeti meretricum contumelias?
      - Alienum sermonem referimus, quæ figura ab interprete Terentij μίμησις πραγματικὴ dicitur. Idem: At ego nesciebam quorsum tu ires, paruula Hinc est abrepta, eduxit mater pro sua, Soror est dicta: cupio abducere, ut reddam suis.
      - Facimus utrunque, quæ μίμησις διηγηματικὴ appellatur ab eodem interprete. Idem in Hec. Vt quisq; uenerat, accedebã: Adolescens dicdum quæso, es tu Myconius? on sum. at Callidemides? Non. Hospitem ecquem Pamphilum hîc habes? omnes negabant.
    - Mores exprimuntur, uel cùm
      - Mitiores describuntur affectus, quæ dicitur ἠθοποιΐα, ut in Phidippo apud Terentium: Etsi scio Philumena meum ius esse, ut te cogam, quæ ego imperem, facere: ego tamen patrio animo uictus, faciam ut tibi concedam, neque tuæ libidini aduersabor. Item in Chryside, apud eundem: Mi Pamphile, huius formam atque ætatẽ uides: Nec clam te est, quàm illi utræq; res nunc utiles, Et ad pudicitiam, & ad tutandam rem sient.
      - Ardentiores motus ante oculos ponuntur, quæ appellatur παθοποιΐα, & ὑποτύπωσις, & ab Aristotelicis πρὸ ὀμμάτων ποίησις. Celsus uertit euidentiam. Virg. 4. Æn. Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus auctor, Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens Caucasus, Hyrcanæq; admorũt ubera Tigres. Ter. in Eun. Et quod nunc tute tecum iratus cogitas, Egóne illam? quæ illum? quæ me? quæ non? sine modò? Mori me malim: sentiat, qui uir siem.

DE ORATIONE IMITANDA, FVGIENDAQVE.

ORATIO *omnis uel ad imitandum, uel ad fugiendum proponitur.*

- Imitanda *est ea quæ Latina, quæ perspicua, quæ rebus accommodata. uirtus enim orationis aut est posita in*
  - Verbis, *quæ emendata esse oportet.*
  - Phrasi, *quam necesse est esse usitatam.*
  - Sententijs, *quibus conueniens ornatus est adhibendus.*
  - Requiruntur *igitur in omni oratione,*
    - Latinitas, ἑλληνισμὸς, *quæ constat præceptis & exemplis.*
    - Explanatio, σύγκρισις, *quæ posita est in proprietate & consecutione uerborum.*
    - Dignitas, ἀξίωμα, *quæ uarietate commendatur, atq; decoro.*
- Fugienda *contrà in oratione, quæ his uirtutibus aduersantur, atque eas impediunt: ut in*
  - Verbis, *& eorum pronunciatione: quod appellatur* βάρβαρον, *Barbarum, quando utimur aut*
    - Malis.
    - Absonis.
    - Externis.
    - Inusitatis.
  - Phrasi, *& uerborum compositione: quod dicitur* ἀσαφὲς, *seu* Obscurum, *cùm oratio minus aperta est, aut*
    - Vicio uerborum.
    - Perplexitate sententiæ.
  - Sententijs, *& earum tractatione: quod appellatur* ἀσχήματον, *seu* Inornatum, *cùm oratio omnibus luminibus caret, atq; ornamentis, neque ulla elegantia aut uarietate delectat.*

DE VICIIS ORATIONIS.

- Vicia orationis sũt tria:
  - Barbarum: *quod est aut in*
    - Orthographia.
    - Prosodia.
    - Etymologia.
    - Syntaxi.
    - Quò pertinent
      - Βαρβαρισμὸς.
      - Βαρβαροφωνία.
      - Βαρβαρολέξις.
      - Σολοικισμός.
  - Obscurum: *quod est aut in*
    - Vno uerbo, *cuius species sunt quatuor:*
      - Ακυρον.
      - Υπέρβατον.
      - Ελλειψις.
      - Ομωνυμία.
    - Pluribus uerbis, *cuius totidem sunt species:*
      - Ακυρολογία.
      - Σύγχυσις.
      - Μέιωσις.
      - Αμφιβολογία.
  - Inornatum: *quod est aut in*
    - Verbis, *uel*
      - Durè concurrentibus
      - Humilibus
      - Inflatis
      - Superfluis
      - Quò pertinet
        - Κακοφωνία.
        - Ταπείνωσις.
        - Ογκος.
        - Πλεονασμός.
    - Compositione,
      - Verbis *malè cohærentibus.*
      - Numeris *inconuenientibus.*
      - Rebus *non dispositis.*
      - Sententijs *malè collocatis.*
      - Quò pertinet
        - Κακοσύνθετον.
        - Αναρίθμητον.
        - Ανοικονόμητον.
        - Ατακτον.
    - Tota oratione: *idq́; fit modis tribus. aut enim*
      - Prolixitate *est molesta: quò pertinent*
        - Περιττολογία.
        - Παρεργία.
        - Ταυτολογία.
        - Μακρολογία.
      - Ostentatione *est inepta: quò referuntur*
        - Σωραϊσμός.
        - Παραπλοκὴ.
        - Οξύμωρον.
        - Πολυσχηματιστὸν.
        - Πομφολογία.
        - Ομοιολογία.
        - Ποικιλόγια.
        - Λεπτολογία.
        - Αρχαιολογία.
        - Ιδιωτικόν.
        - Κακοζηλία.
      - Turpitudine *uituperabilis: cuius una species,* Αἰσχρολογία.

I. DE BARBARO.

BARBARVM est, quoduis uicium, contra usitata Grammaticorũ præcepta commissum: totidem enim species barbari annotari possunt, quot Grãmaticæ partes numerãtur.

Βαρβαρισμὸς est in orthographia, cùm additur demiturq; aliquid, aut immutatur in uerbo, uel contra auctoritatem ueterum, uel contra consuetudinem uulgi & multitudinis. Huc pertinent μεταπλασμοὶ, de quibus suprà dictum est, qui poëtis concessi in carmine sunt, uel ratione, uel usu: quibus tamen in sermone communi uti non licet. Vt si dicam ἐπενθέσει Induperator, cùm dicendum sit Imperator: ἀφαιρέσει, si conia dicam, ubi ciconia: μεταθέσει, si adulator, ubi laudator.

Βαρβαροφωνία est in prosodia, quod uiciũ à Caribus dicitur esse deriuatum. Estq; aut à

- Consuetudine mala, aut ab imperitia profectũ. id fit, uel
  - Syllabarum breuitate, productioné ue insolita. Ad hoc genus pertinent διαστολὴ & συστολὴ, de quibus in Metaplasmis agebamus: cùm correptione aut mora syllabarum peccatur.
  - Aspirationis expreßione deprauata. Propter hoc uicium notat Arrium quendam Catullus: Chommoda dicebat, si quando commoda uellet Dicere, & insidias Arrius hinsidias. & quæ sequuntur.
  - Literæ eiusdem repetitione & molestia. Hoc uicium est in earundẽ literarum positione, quod uarias secundum literarum nomina, appellationes accepit apud Græcos. ut, ἀλφαβισμὸς seu πολύαλφα, cùm A litera sæpius ponitur. Virg. 12. Perq; ærea suta Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum, Ita & in cæteris: ut, γαμματισμὸς, ἰωτακισμὸς, καππακισμός. Ennius in Phœnice: Cupida cupiens cupienter cupit. Hoc suprà relatum est ad τύπους παρωνομαστικούς.
- Naturæ defectu, oris'ue uel linguæ deprauatione, quod uicim in scribẽdo non deprehenditur, sed est tantùm ἐν λόγῳ μετὰ φωνῆς, ut Aristoteles inquit, hoc est, in sermone quem ore proferimus. Cuiusmodi sunt nominata uicia illa πλατειασμὸς, ἰσχνοφωνία, κοιλοστομία, σκληροστομία, ψελλότης, τραυλότης, κλοβωτισμός.

Βαρβαρολέξις est in etymologia seu dictione, cùm uox peregrina, & Romanis auribus insueta affertur: quarum tamen multæ per consuetudinem ciuitate donatæ sunt. ut Cateïa, pro telo, apud Virgilium: Framea, pro gladio, apud Tacitum: Teutonicæ uoces sunt. Satrapes, pro præfecto, Persicum uocabulum: Riscus, pro cistella, Phrygium: quibus Terentius utitur. Cisium, Esseda, Sarracum, pro certis uehiculorum generibus: primum Gallicum, alterum Britanicum, tertium Alanicum est: quæ apud Ciceronem leguntur.

Σολοικισμὸς, est malus & incompositus sermo, quod uicium à Cilicibus ferunt esse dictum, atq; deductum. A quibusdam, teste Diomede, Stribiligo nominatur. Hoc autem est aut in

- Syntaxi, cùm negligũtur præcepta, & dicitur σολοικοφανὴς. ut Virg. Pars arduus altis Puluerulenus equis furit. Cic. 3. de Natura deorum: Si medicus sciat eum ægrotum, cui iußisset uinum sumere, meracius sumpturũ. In exemplo Virgilij synthesis st, pro pars ardua & puluerulenta: uel ἀντιμέρεια, pro, partim ardui & puluerulenti. In Ciceronis exemplo ἑλληνισμὸς est, Cui iußisset: pro, quen iußisset. Diomedes secundum accidentia partium exempla enumerat, Quintilianus etiam alia addit. Possunt ad Soloëcismum referri omnes figuræ Syntaxis, nisi usum auctorum habeant.
- Phrasi, cùm non obseruatur mos & elegantia ueterum: & dicitur interdum σολοικὸν: ut si dicas, Pati damnum. pro, damno affici. Item, facere epistolã, pro componere: ferri non debet. Sine enim ueterum auctoritate nouas formas orationis fingere, nemini est concessum.

II.

DE OBSCVRO.

Obscurum est, uicium quod intelligentiam impedit, aut proprietate, aut perplexitate, aut imperfectione, aut ambiguitate. Est autem interdum uel in

- Verbo uno: cuius quatuor sunt species
  - Ακυρον, seu improprium, cùm uox in significatione usitata non ponitur. Terent. in And. Quod tu speras propulsabo facile. id est, quod times. Idem in Heaut. Satis scite promittit tibi. id est, tibi minatur. Spes autem & pollicitatio cùm de futuro bono dicantur, hîc traducũtur ad malum imminens. Virgil. 1. Æneid. Neque enim ignari sumus antè malorum. Pro, non sumus obliti. Ignarus est, qui nescit: oblitus, qui non meminit. Huc etiam pertinet κατάχρησις.
  - Υπέρβατον, seu traiectio, cùm uox loco solito non ponitur. Cic. Nihil iam sum pridem admiratus magis. Pro, nihil iampridem magis sum admiratus. Virg. in Bucol. Aggreßi inijciunt ipsis ex uincula sertis. Pro, uincula ex sertis.
  - Ελλειψις, seu defectio, cùm uox quæ necessariò ponenda est, planè non ponitur. Cic. Quid possum de Torquato? nisi aliquid à Dolabella. Horat. 1. Carm. Sapies, uina liques, & spacio breui Spem longam reseces. Pro, si sapies.
  - Ομωνυμία, seu æquiuocatio, cùm uox multa significans, sensu incerto ponitur. Rex dicitur, ut loquitur uulgus, qui regnum poßidet: ut, Stoici sentiunt, & Tragicus scribit in Thyeste, Rex est qui metuit nihil. Inter sacrificos rex est, qui antistat: inter parasitos, qui alit & largitur. Apud Romanos, qui è Martia familia erant: apud Prenestinos, qui è Rupilia, Reges cognomento dicti sunt. Vnde cùm canit Horatius libro primo Sat. 7. Proscripti regis Rupili pus atque uenenum. Propter æquiuocationem locus obscurus est: nec intellectus fuisset, sine antiquis interpretibus.
- Verbis pluribus, & totam corrumpit sententiam, cuius totidem sunt species, quæ & nominibus & rebus distinguuntur à superioribus.
  - Ακυρολογία, sermo improprius, qui propter abusionẽ uerborũ, et continentem obscuritatem, habet aliquid allegoriæ affine. Virg. 5. Æn. Tenues Teucrûm res eripe letho. Id est, Serua naues ab incendio. Res Teucrorum de nauibus dicit, quasi in ijs essent fortunæ ipsorum positæ. Mortem, quæ tantùm animantibus accidit, nauium trabibus hîc attribuit.
  - Σύγχυσις, sermo perturbatus, qui propter uerborum confusionem, minus intelligitur. Virg. 1. Æn. In saxa latentia torquet, Saxa uocant Itali, medijs quæ in fluctibus, Aras. Pro, torquet in saxa, quæ saxa in fluctibus medijs latentia, Itali uocant Aras.
  - Μείωσις, sermo imperfectus, qui propter omißionem uerborum, intelligentiam apertam non habet. Μείωσιν autem hoc uicium nominat Quintilianus. Cic. ad Att. Antonius de lege quid egerit: liceat modò rusticari. Vtraque pars sententiæ non est absoluta.
  - Αμφιβολογία, uel (ut Aristotelici) ἀμφιπερίσωσις: uel, ut Terentij interpretes, τὸ ἄδηλον, est sermo ambiguus, qui potest in partem utranque intelligi. Terent. in Hec. Omnes socrus oderunt nurus. Idem in Adelph. Neque metuit quenquam, neque legem putat tenere se illam. Incertum est, an lex Æschinum teneat, an Æschinus teneat legem

III.
DE INORNATO.

Inornatū, est uicium uilitatis, quod omni elegan-

Verbis, cuius quatuor sunt species:

Κακοφωνία, seu absonum, cùm uel literæ duriter sonant, uel syllabæ deformiter cōcurrunt. Hanc alij uocant generali uocabulo τραχύτητα. Næuius: Libera lingua loquimur ludis Liberalibus, τῷ λαβδακισμῷ. Plaut. in Mercat. Si quid faciendum est mulieri malæ & maliciosæ, ea sibi immortalis memoria est meminisse. Ludunt interdum in hoc poëtæ non illiberaliter. Græci Grammatici in primis annotarunt πολύσιγμα seu σιγματισμὸν, ut minimè suauem, est enim (ut Halicarnaseus scribit) ἄχαρι καὶ ἀηδὲς τὸ Σ. Virg. 1. Georg. Et sola in sicca secum spaciatur arena. Eurip. in Medea: ἔσωσά σ᾽ ὡς ἴσασιν ἑλλήνων ὅσοι. quo uersu risus in theatro excitatus dicitur.

Ταπείνωσις (seu) ut Fabius, humilitas, cùm res magna uerbo humili effertur: ut, Lacunæ salsæ pro mari, apud Lucretium. Virg. 2. Æn. Ingentem lato dedit ore fenestram. Fenestra, pro ingentis ædificij ruina. sed hoc loco humilitas corrigitur epitheto.

Ογκος, inflatio, cùm rei mediocri uerbum tumidū apponitur. ut, Lacunæ Neptuniæ, pro mari: quod citat auctor ad Herennium.

Πλεονασμὸς, superfluum, quod est aut in
- Syllabarum superuacanearum adiectione: ut, Iteradum eadem mihi ista. Et, Facitodum eadem hæc memineris.
- Dictionis non necessariæ appositione. Virg. Sic ore locuta est. Ter. Hisce oculis uidi.

Verborum compositione, cuius quatuor sunt species:

Κακοσύνθετον, incompositum, cùm uerba malè cohærent, aut fluctuant: cuius Fabius hoc affert exemplum de 9. Æn. Versaq; iuuencûm Terga fatigamus hasta. Tibul. Semper ut inducar blandos offers mihi uultus. Carmen fluctuans est frequentia incisorum. est enim πενθημιμερὴς, ἑφθημιμερὴς, ἐννεαμιμερὴς.

Ανάριθμητον, dissolutū, cùm oratio iustis caret numeris. Quale esset, Filij temeritas probauit dictum sapiens patris. Quod cùm C. Carbo in concione ita dixisset, patris dictum sapiens temeritas filij comprobauit: propter numerorum cōcinnitatem clamor totius concionis excitatus est, ut inquit Cicero.

Ανοικονόμητον, inordinatum, cùm res ordine non bono distribuuntur. In Terentio reprehendunt quidam, quòd Demea dixerit fratri de certamine & raptu Æschini, quòd post eam narrationem tandem certamen & raptus in scena consequantur.

Ατακτὸν, indispositum, cùm propriam sedē non habent aut
- Partes orationis. ut si ponatur ratio ante propositionem, aut refutatio ante narrationem.
- Sentētiæ. ut, si quæ ad mouendum accommodatæ sunt, in orationis initio: quæ uerò ad conciliandum, in extremo collocentur: item si sententiæ quæ docere debent, careant beneuolentia & fide.

tia & uarietate ... Id ... aut est

Tota oratione, quod in genere fit tribus modis. Oratio enim aut

Prolixitate est molesta, cuius species sunt

Περιττολογία, est uerborũ sine ulla ui sententiæ superuacua adiectio. Varro Atacinus: Omnia noctis erant, placida cõposta quiete. Postremã adiectionem reprehendit Ouidius: melius enim fuisse, Omnia noctis erant. Ouid. 1. Met. Omnia pontus erant, deerant quoque littora ponto. In Ouidio eandem adiectionem reprehendit Scaurus orator, qui dixit, absolutius fuisse: Omnia pontus erant. Idem Scaurus notauit rhetorem Montanum, quòd sententias repetendo corrumperet.

Περιεργία (quã alij etiam καλλωπισμὸν, Hermogeniani περίσωσιν nominant) est cultus nimis operosus, & exquisitus, quem in poëta Pindaro risit Corinna: in Arellio Fusco oratore Seneca notauit. Tale uolunt esse illud Ouidij 2. Met. Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ Curuatura rotæ, radiorum argenteus ordo, Per iuga chrysolithi, positæq; ex ordine gemmæ.

Ταυτολογία, uel (ut Vlpianus) ἀειλογία uel (ut Helenius) κατὰ τὸ αὐτὸ, est unius rei repetitio. Cic. 16. ad Att. Multum potes nos apud Plancũ iuuare: noui humanitatem tuam, scio quàm sis amicis iucundus: nemo nos in hac causa plus iuuare potest, quàm tu.

Μακρολογία, quæ & generali nomine περιβολὴ, est nimis tracta, & prolixitate inanis oratio. Cic. ad Lent. Scripsi etiam (nam ab orationibus disiungo me ferè, referoq; ad mansuetiores Musas, quæ me maximè, sic iam ut à prima adolescentia delectãt) scripsi igitur Aristotelico more, quẽ admodum quidem uolui, tres libros in disputatione ac dialogo de Oratore. Teren. in Hec. Ad aures haud inuito sermo mihi accessit tuus. Pro rectè loquutus es, senili loquacitate, ut inquit interpres.

Ostentatione est inepta. Quò referuntur

Σωραϊσμὸς, est multarum linguarum confusio. Quale illud Ausonij ad Paulinum: Qui ioca παντοδάπῃ nouit tractare παλαίστρᾳ. Hoc uitio ... uectium poëtam notat Lucilius: ipsum Lucilium Horatius ...

Παρεμπλοκή, est orationis solutæ ac poëticæ ...es ab in ...ito, ἡ τῶν ῥημάτων μετὰ πεζοῦ λόγου μίξις καὶ ἐμπλοκή, ut definit ...næ ip... pres Hermogenis. Cic. ad Q. Fratrem Cursu corrigam tarditatem, ... cùm equis, tum uerò quadrigis poëticis. H... pertinet, si quando impru... entibus uersu integri excidũt: ut Ciceroni in epistolis lib. 1. ad Lentulum. His ego consilijs, si te præsentem habuissem. Lib. 2. ad Curionẽ: Quare ... da te homini, complectetur mihi crede. Item ad Atticum lib. 2. Displic... eo mihi, nec sine summo scribo dolore. Et ad ...undem lib. 15. Ita credo, sed mihi totum Eius consiliũ ad bellum spectare uidetur.

Ὀξύμωρον, cùm coniunguntur, quorum alterum aut esse, aut non esse fuerit necesse. Cic. in Bruto: Subitò in ciuitate cùm alia occiderunt, tum etiam ea ipsa (de qua disputare ordimur) eloquẽtia obmutuit. Tale est dictũ illud antiquũ, quod Festus citat: Vetus nouũ uinũ bibo, ueteri nouo morbo medeor. Eodem modo Horatius dixit, Strenuã inertiam: Ouidius, Concordem discordiam. Hæc suo loco propter personas aut res ipsas, dicuntur nec ineleganter, nec incommodè.

Πολυσχηματισμὸν, est cumulus figurarum, qui obscuritatem parit. Teren. In Hec. Teq; antè, quàm me amare rebar, & rei firmasti fidem. Primum est ἀνακόλουθον, Quàm antè rebar te amare me, ei rei firmasti fidē: pro, tam ei rei firmasti fidem. Deinde ἄκυρον, Quàm, pro quantum. Postremò ἀμφίβολον, Te amare me: id est, quòd tu me ames. Vt sit sensus: Quantum rebar tuum esse erga me amorem, tantum iam facto probasti. Id est, Non dubium mihi fuit, me amari abs te: idq; ita esse, nunc reipsa ostendisti.

Πομφολογία, seu (ut alij scribunt) βομφιολογία, seu τόμφασις, quod Aeschylo uicium obiecit Aristophanes, est tumor orationis immodicus. Silius: Ordior arma, quibus cœlo se gloria tollit Æneadûm. Statius: Magnanimum Æacidē, formidatamq; Tonanti Progeniem canere incipio. Horatius in Arte poëtica, de Cyclico quodam scriptore loquens, hiatum nominat, & salsè irridet.

Ὁμοιολογία, ubiq; sui similis, absq; uarietate ac suauitate, oratio: nec ullis figuris, aut ulla compositione grata: qualis esse solet hominum non exercitatorū.

Ποικιλολογία, immodicè uariata, ideoq; toto genere impropria oratio: qualis est Sidonij, Apuleij, Capellæ. Seneca de Oscio quodam: Non incommodè dixit (inquit) sed sibi nocuit: & cùm nihil sine schemate diceret, oratio eius non figurata erat, sed praua.

Ἀσπιλογία, humilis & contempta rei grauis explicatio, carens neruorum καὶ τῆς ἀγῶνος. Reprehendit hoc uicium Cicero in Callidio, Seneca in Persio oratore.

Ἀρχαιολογία, cùm sententias nimis antiquis, & iam obsoletis proferimus uerbis: quod uicium obijcit Sallustio historico Asinius, Scauro & Cælio oratoribus exprobrant Seneca & Tacitus.

Ἰδιωτικὸν est, cùm quasi uulgi ore loquimur, ne à sordidis quidem abstinentes uocabulis. Exagitat eo nomine Albutium Seneca, & ob Patauinitatem Liuium Asinius reprehendit. Interdum hoc uicium gentile est, ut nimia breuitas Laconum, immodica garrulitas Asiaticorum.

Κακοζηλία (quam Fabius affectationem, Ouidius molestiam nominat, ita canens: Effugiant uoces uerba molesta tuæ) est mala & deprauata imitatio, omnium uiciorum (ut ait Fabius) pessimum. Virg. 4. Æn. Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit. Hoc imitando Silius non assequitur: Stat sonipes, ac frena ferox humentia uexat. Ineptæ autem atq; ineruditæ imitationis uicium latißimè patet.

Turpitudine uituperabilis, *cuius una species:*

Αἰσχρολογία (uel, ut Fabius, κακέμφατον: id est, ut ipse interpretatur, deformitas) est obscœnus sermo, qui ut à liberali ingenio atq; animo alienus, ita semper est fugiendus. In poëtis autem & alijs scriptoribus enarrandis, tanquam Syrenum cautes, sunt omnes turpitudines prætereundæ. Multi uerò qui in honestè dictis quærunt intellectum turpem, improbæ inquisitionis cura, quales sint, suo se produnt indicio. Satius autem est (ut Seneca ait) quædam uel cum causæ detrimento tacere, quàm inuerecundè dicere. quod silentium ut in Oratore reprehendi non solet, ita in interprete multo minus est reprehendendum.

DE VICIIS CARMINIS ELEGIACI.

DE PEDIBVS.

IN PEDIBVS duo spectanda:

- Proprietas, ut certi et usitati pedes adhibeantur: uitentur autem
  - Improprii, ἀνοίκειοι: quales sunt
    - Proceleusmaticus ᴗ ᴗ ᴗ ᴗ, qui fit resolutione dactyli, & occupat locum
      - Primum. Virg. 11. Arietat in portas, & duros obice postes.
      - Secundum. Idem 2. Hærent parietibus scalæ, postesq; sub ipsos.
      - Quintum. Idem 2. Georg. Velleraq; ut folijs depectãt tenuia Seres.
    - Anapæstus ᴗ ᴗ –, qui fit dactyli inuersione. is occupat locum
      - Primum. Virg. Fluuiorum rex Eridanus, camposq; per omnes.
      - Secundum. Epigramma antiquum: Lælia tua debent nec benefacta mori.
  - Peregrini ἀνακόλουθοι, μὴ συγγενεῖς, in quibus uersus propter tempus
    - Luxatur, minuiturq;: quales sunt,
      - Iambus ᴗ – . Virg. Congredior, fer sacra pater, & cõcipe fœdus.
      - Tribrachys ᴗ ᴗ ᴗ . Ouid. Qua perijt aliquis, potes hanc contingere dextram.
    - Extenditur, augeturq;: qui pedes sũm initiũ incidũt, uersus ἀκέφαλοι nominantur. Tales sunt
      - Creticus – ᴗ –. In epitaphio antiquo Fusci: Factionis Venetæ Fusco sacrauimus aram.
      - Bacchius ᴗ – –. In alio Probinæ: Diebus post paucis est comitata suos.
      - Pæon primus – ᴗ ᴗ ᴗ. Ennius: Sic mulier erubuit ceu lac & purpura mixta.
      - Pæon secundus ᴗ – ᴗ ᴗ. Propert. Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos.
      - Pæon quartus ᴗ ᴗ ᴗ –. Ennius: Capitibus nutantes pinus, rectosq; cupressos.
- Compositio: apta enim pedũ connexio & uarietas, præcipuum Elegiaci carminis ornamentum est. Fugienda igitur nimia
  - Tarditas spondei. Lucretius 6. An cœlum nobis natura ultro corruptum?
  - Celeritas dactyli. Virg 10. Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo.
  - Luxatio. ne singulos pedes singulæ uoces absoluant. Horat. Præter cætera Romæ, mé ne poëmata censes Scribere?

¶ Hæc autem omnia nonnulli excusant per συνίζησιν, ἢ ἐπισυναλοιφὴν, ἢ ἔκτασιν: de quibus in Figuris Prosodiæ primi generis dictum est.

DE LITERIS ET SYLLABIS.

Concursus ἡ σύγκρουσις *literarum syllabarumq; uitandus: is est aut in*

- **Initio**, *qui parit* κακοφωνίαν: *ut in* καππακισμῷ. Ouid. *Corpora Cecropidum pennis pendere putares, Pendebant pennis. In hoc luserunt integris libellis* Hugoldus, Portius, Mameranus, *maiore ostentatione quàm fructu.*
- **Medio**, *qui* ἰσοτονίαν: *fitq; uel in*
  - **Quouis loco** *indifferenter.* Idem in Heroid. *Cùm tibi ne uictus tecto morerere recuruo.*
  - **Inciso** *tantùm.* Idem in Met. *Si Troiæ fatis aliquid restare putatis.* Idem: *Quærebant flauos per nemus omne fauos.*
- **Fine**, *qui parit* περίσωσιν, *ut in* ὁμοιοπτώτῳ. Virg. *Cristaq; tegit galea aurea rubra.*

Insuauiter *uersus longus desinit in dictionem*

- **Vnius syllabæ.** Horat. 2 Serm. *Prælia rubrica picta aut carbone, uelut si Reuerà pugnent.* Etiam *monosyllabæ dictiones, si plures uno in loco cumulentur, deformant uersum. ut:* Non ex his est, qui se sanos uiuere curent.
- **Quatuor syllabarum.** Lucret. 2. *Augescunt aliæ gentes, aliæ minuuntur.*
- **Plurium syllabarum.** Horat. *Quisquis luxuria tristi'ue superstitione.*

Versus pentameter, *qui longo subijcitur, est insuauis, cùm*

- **In medio dactylus** *à particula monosyllaba incipit, & trium syllabarum uox sequitur, cum coniunctione enclitica.* Tibul. *Ne capiti soles, ne noceant'ue niues.*
- **In fine ponitur** *dictio, uel*
  - **Monosyllaba.** Propert. *Ah dolor, ibat Hylas, ibat Hamadryas hinc.*
  - **Trisyllaba.** Ouid. *Spectarem qualis purpura te tegeret.*

¶ Præceptum Dionysij Rhetoris est, Δεῖ μιγνύειν βραχέσι μακρὰ καὶ πολυσυλλάβοις ὀλιγοσύλλαβα. ταῦτα γὰρ ἡδέως διατίθησι τὴν ἀκοήν. Concurrere autem in pulchro carmine, secundum Græcos interpretes, necesse est hæc tria:

Λειότητα φωνηέντων, ἀλλὰ μὴ σύγκρουσιν.
Πόδας συγγενεῖς ἀλλήλοις.
Μέρη λόγου μὴ ἰσοσύλλαβα, μηδὲ ἰσόχρονα, μηδὲ ἰσότονα.

DE INCISIS.

Incisa (quæ uulgò cæsuræ & mansiones, τομαὶ & κόμματα Græcis) planè sunt obseruanda, faciunt enim plenũ & æquabilem numerum. Vitanda autem uel

- Singula, ut illa inusitata
  - Τριθημιμερὲς, semiternarium, cùm post unum pedem relinquitur syllaba, dictionem finiens, propter quod syllabam produxit Virgilius: Inualidus, etiamq; tremens, etiam inscius æui.
  - Ἐννεαημιμερὲς, seminouenarium, cùm post pedes quatuor. Idem: Ille latus niueum molli fultus hyacintho.
  - ἐνδεκαημιμερὲς, semidecenarium, cùm post pedes quinq;. Idem: Sternitur, exanimisq; cadens procumbit humi bos. Quamuis hæc interdum excusationem habent, non propter compositionem, sed propter sententiam.
- Multa coniuncta, quæ carminis grauitatem dissolutione quadam attenuant. Tibul. Semper ut inducar blandos offers mihi uultus. De quo suprà dictum, de Inornato.

DE COLLISIONE ET ELISIONE.

Collisio & elisio, συναλοιφὴ καὶ ἔκθλιψις, quando aut uocale sequente uocalis antecedens colliditur: aut cum uocale, litera muta eliditur, uitanda est in

- Initio. Horat. Nam ut ferula cedas meritum maiora subire.
- Medio, cùm in incisum incidit. Idem: Impetrat & pacem, & locupletem frugibus annum.
- Fine, uel uersus
  - Hexametri. Idem: Loripedem rectus derideat, Æthiopẽ albus.
  - Pentametri. Ouid. Quadriiugos cernes sæpe resistere equos.

Vitandum est etiam tam in collisione, quàm in elisione

- Ne in breuem syllabam sæpius incidat, præsertim cum consonante. Tibul. Blanditiás ue meas alij tu uendere es ausus? nam cùm in longam incidit, carminis adiuuat grauitatem. Virg. Monstrum horrendũ, informe, ingens, cui lumen ademptum.
- Ne continuata sit. Quid enim potest esse horridius illo Catulliano? Quàm modò qui me unum atque unicum amicum habuit. Et hoc altero: Troia (nefas) commune sepulchrum Europæ Asiæq;, Troia uirûm & uirtutum omnium acerba cinis.
- Ne sit antiquata: quales sunt, cùm eliduntur aut subtrahuntur consonantes, uel in
  - Medio, κατὰ παρέλλειψιν: ut L. Teren. in Eun. Iugularas hominẽ: quid ile? mutus illico. Ile, pro ille.
  - Fine, κατ' ἀποκοπήν: ut
    - D. Accius apud Cic. 1. de Diuinatione: Per propinqua hæc bene uerruncent populo: nam quòd ad dexteram. Trochaicus, in cuius loco penultimo, in quod, D eliditur.
    - S. Ennius apud Cic. de Senectute: Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit. Pro, cõfectus. Vtrunq; in uno uersu Lucilij deprehenditur, qui est apud Ciceronem 1. lib. de Finib. Læliu' præclarè & rectè sophos: illu'q; uere. pro, Lælius, & Illudq;.

DE DELECTV VERBORVM.

Delectus uerborum, λῆψις τῶν ὀνομάτων, præcipuè cõmendat carmen. Vitanda igitur uerba

Impropria, ἄκυρα, nisi auctoritatem habeant. ut, spes pro metu. Ouid. Spes quoq; lenta fuit, tardè quæ credita lædunt Credimus. Promittere, pro minari. Virg. Promisi ultorem, & uerbis odia aspera moui. id est, minatus sum me ulturum. Idem: O socij, neque enim ignari sumus ante malorum. hoc est, pristinorum malorum sumus non immemores. Ignarus enim est, qui nescit: immemor, qui obliuiscitur.

Barbara, μὴ ἑλληνικὰ, nisi Romana facta sint consuetudine. Sarissa, pro hasta, Macedonicum: Corytus, pro pharetra, Hetruscum.

Antiquata, ἀρχαῖα, quæ esse desierunt, nisi auctoritate ualeant. Ouid. Estur ut occulta uiciata teredine nauis. Estur, pro consumitur. Talia sunt apud Virg. ex sententia Fabij: Olli, Quianam, Mi: quibus dignitatem, ut ipse inquit, dat antiquitas.

Inusitata, ἄχρηστα, quæ in uulgi cõsuetudine non sunt, nisi de antiquis rebus sermo sit. Turben, ubi nũc Turbo, dici præter consuetudinem à Tibullo, annotauit Charisius. Testu, pro testa, ab Ouidio, obseruauit Nonius. Moriri, pro mori: & abstit pro absistit, ab eodem, ait Priscianus.

Sordida, λεπτὰ, quæ circumscribenda sunt finitione. Bubulum et Subulcum, noluit dicere Ouidius, sed signis notauit: Hoc faciunt custosq; boum, longæuaq; nutrix, Tertius immundæ cura fidelis haræ. Idem, gruem non nominauit uerbo, sed ab effectu descripsit: Et quæ Pygmæo sanguine gaudet auis.

Humilia, ταπεινὰ, quæ epitheto corrigenda sunt. Aquas dicere pro mari, nimis abiectum, ut et guttas pro lacrimis. Illud igitur Ouidius tali adiectione subleuauit: Per immẽsas puppe ferũtur aquas. hoc Virgilius, cùm inquit, Guttis humectat grandibus ora.

Inflata, seu tumida, ὀγκώδη: ut Panomphæus, pro Ioue. Hoc uicium maximè uulgare est in Epithetis.

Repetita, τὰ αὐτὰ. Teren. in And. Cedò cui puerum huc apposuisti? dic mihi.

Obscœna, αἰσχρὰ: ut, patrare pro committere, castrare pro auferre.

PARTITIONVM GRAMMATICARVM LIBRI IIII. & ultimi Finis.